FRIDERICI AUGUSTI LUDOVICI ADOLPHI GROTEFEND
CLAUSTHALIO-HANNOVERANI
SEMINARII REGII PHILOLOGICI ET HOMILETICI NEC NON SOCIETATIS THEOLOGICAE GOETTINGENSIS ANTEHAC SODALIS.

COMMENTATIO

IN QUA

DOCTRINA PLATONIS ETHICA CUM CHRISTIANA COMPARATUR ITA UT UTRIUSQUE TUM CONSENSUS TUM DISCRIMEN EXPONATUR.

IN CERTAMINE LITTERARIO

CIVIUM

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE

DIE IV. JUNII cIↄIↄcccxx.

PRAEMIO REGIS MUNIFICENTIA CONSTITUTO

EX SENTENTIA

VENERABILIS THEOLOGORUM ORDINIS

ORNATA.

Θεῖος μεν ὁ Πλατων, Θεὸς δὲ ὁ Χριστος.

GOETTINGAE
PROSTAT IN LIBRARIA VANDENHOEKIO-RUPRECHTIANA.
MDCCCXX.

Commentatio exhibens doctrinae Platonicae ethicae atq. christianae expositionem & comparationem. auct. G. H. Klippel. Götting. 1823. XVI. & 207.

PRAEFATIO.

I.

Saepenumero mihi de miro Platonicae atque Christianae tum universae doctrinae, tum potissimum ethices consensu cogitanti, dubitanti tamen, num tantus sit iste, quantus ab illis qui de eadem re verba fecerunt, plerumque exhibeatur, an potius egregia Christianae ethices auctori prae Platone vel in moralibus doctrinis praestantia sit adjudicanda, quum aliquot Platonis libros jam antea legissem, ejusque philosophiae omni industria incubuissem, quid potuit esse jucundius, quid magis opportunum, quid denique quavis ratione magis exoptatum isto illustris theologorum ordinis judicio, quo in hunc annum cives Academiae Georgiae Augustae

ethices Platonicae atque Christianae comparationem, ita ut utriusque tum consensus, tum discrimen exponeretur, instituere

jussisset? At vero, posteaquam ad illud opus suscipiendum me accinxeram, quo magis in ipsa disquisitione progressus essem, eo magis subinde emicabant tantae difficultates, quantas parvis viribus superandas admodum diffiderem. Ne dicam immensum fere ambitum librorum in quibus morales Platonis doctrinae modo uberius expositae, modo dispersae et tanquam disjecta membra jacerent, tanta est philosophi nostri obscuritas, et difficilis atque subtilis in omnibus ratio,

ut veram ipſius mentem niſi aſſidua diligentia et acerrimum ingenium divinare non poſſit. Nihiloſecius vel parvas, ratus, vires, ſi modo cum ſtudio et diligentia tentaverint, et in magno conamine ſaltem aliquid eſſe profecturas, ipſoque tentando roborari, minime inceptum opus abjiciendum putavi, ſed qualicunque ſucceſſu perficiendum. Itaque ſi quid aut praetermiſiſſe, aut ut in tanta re minus intellexiſſe viſus ſim, dum ne ſtudium et diligentia deſideretur, me eorum, qui harum rerum ſunt gnari, veniam eſſe impetraturum, haud despero.

II.

In tota vero disquiſitione non in agendum mihi viſum eſt, ut denuo moralis Chriſti et Apoſtolorum doctrina recognosceretur, quum omnium virorum doctorum in his tantus ſit conſenſus, ut ſi quaedam ſingula eaque, quae dicunt, poſitiva excipias, nulla fere ſit doctrina de qua utrum vere Chriſtiana ſit necne, quisquam dubitare queat. Sed illud ſummi momenti eſt, ut Platonis ethicam denuo ex ſcriptis ipſius recognitam, enucleatam et probatam quisque perſpiciat et intelligat, qualis ſit ejus ratio ad vim ethicae Chriſtianae, quae in univerſum pro cognita omnibusque probata haberi poteſt. Itaque non opus eſſe putavi, ut *utramque* ethicam prius exponerem, quam compararem, ſed *Platonis doctrina in quaque re enucleata et probata, ſtatim inſtitui comparationem cum dictis et ſententiis Novi Teſtamenti.*

III.

Duo potiſſima mihi viſa ſunt momenta, quae in univerſa quaeſtione comparanti obverſari debeant, alterum, ut ipſa expoſitione elucescat, utri major debeatur laus in ſingulis omnibus, ubi vel omni partium ſtudio abjecto chriſtianae ethicae palmam adſignare poſſumus; alterum hoc: utrum cogamur, ſi qua egregia ſimilitudo utriusque ethices emicet, de externa quadam cognatione cogitare, an potius cauſſae

adſint potiores, unde tanta ſimilitudo profecta ſit. Etenim facile quisquam in illam incidet ſententiam, ut Platonis principia ethices Chriſtianae autoribus undecunque innotuiſſe exiſtimet. Quo cognito, etiamſi merito Servatoris noſtri nihil damni afferatur, tamen juvat, verum hac de re indagare judicium.

IV.

Univerſae rei cardo verſatur in comparatione generalium principiorum et ipſius fundamenti utriusque ethices. Ea enim praecepta, quae ad ſingulas virtutes, ſingulaque officia ſpectent, tum in omnibus fere ethicis eadem ſunt, tum ex vi ipſorum principiorum apte poſſunt derivari. Praeterea illa, quibus Plato a Chriſtiana ethica recedat v. c. praecepta de inimicorum amore *), jam ſatis ſuperque ſunt ab aliis expoſita. Denique ſi ſingula quaeque exponere et comparare voluiſſem, aut in immenſam molem opus excreviſſet, quum vel ſic aliquantum modum exceſſerit, aut illa, quae ſummi ſunt momenti obiter tantum et negligenter tractari potuisſent. Itaque quum pauca funditus explorare et exponere, quam multa obiter tangere mallem, acquievi in vi atque principiis ethices tam Platonicae, quam Chriſtianae quam potui diligentiſſime exhibendis, ſingulis praeceptis eatenus ſpectatis, quatenus in univerſam vim ethices aliquid conferrent.

V.

Praeterea vero externam quoque rationem utriusque ethices non plane exiſtimavi omittendam, quum inde ipſa doctrina aliquam lucem accipiat. Et ante omnia finis et Platonis et Chriſti, quo ethicam conſtituiſſent, ſpectandus erat, ne illo neglecto falſum de utroque exiſteret judicium, neque quid vitio illis verteretur, quod minime meruerint.

*) Vid. L. P. Hüpeden Commentat. qua comparatur doctrina de amore inimicorum chriſtiana cum ea, quae in libris philoſophorum graecorum cet. traditur. Gott. 1817.

Deinde vero et de forma Platonicae atque Christianae ethices aliqua erant monenda, quoniam simul illis via monstratur, qua ad enucleandas utriusque doctrinas progrediendum sit.

VI.

Denique in universa quaestione nullum sequutus sum ducem, nisi ipsos Platonis et Novi T. libros, ne ullius auctoritate ab ea via deducerer, quam ipse mihi descripsissem, et optimam esse putarem. Posteaquam ex ipsis Platonis libris systema ejus ethices mihi composui, tum demum alios quosdam adii Platonicae philosophiae interpretes, et gaudeo, quod cum potioribus ipsorum in plurimis consentio. In reliquis vero malo verum non vidisse, quam aliorum auctoritati concedere, cujus ipse in libris Platonicis nullum vestigium invenerim. In legendo Platone adhibui editionem Stephani tribus voluminibus absolutam, cujus paginae et Bipontinae in margine adscriptae sunt.

VII.

In probandis Platonis sententiis eos potissimum sequutus sum libros, quos omnes uno ore genuinos esse confitentur, Phaedrum, Phaedonem, Gorgiam, Theaetetum, Timaeum, Symposion, libros X de Republica; ex reliquis tales tantum laudavi locos, quales cum principiis Platonis aperte consentiunt, et quos Platonis mentem referre nemo unquam negabit. Quamquam nonnulli libri, qui Platoni adjudicantur, ipsum autorem non habeant, tamen multa Platonica illis inesse, non est quod quisquam neget.

VIII.

Si quis velit illos libros de philosophia Platonis cognoscere, qui potissimum huc ferant, inveniet illos natatos in: Tennemanns Grundriss der Geschichte der Philosophie. p. 91. 2te Auflage 1816. adde: Astii: Platons Leben und Schriften. Leipz. 1816.

CONSPECTUS.

Pars Prior.

COMPARATUR ETHICES PLATONICAE ATQUE CHRISTIANAE EXTERNA RATIO.

Caput I.

DISQUIRITUR DE FINE, QUEM PLATO ET CHRISTUS SEQUUTI NOVAE ETHICES AUCTORES FACTI SINT.

§. 1.

De fine atque confilio, quo Plato moralem fuam doctrinam conftituerit, potiffimum feremus judicium et veriffimum, quando ad ifta tempora, quibus vixit philofophus nofter, refpexerimus. Platonis aetate in Graecia et Athenis potiffimum fchola exorta erat philofophorum, qui ut reliquas philofophiae partes, ita moralem potiffimum tractandam et variis modis ventitandam fibi fumfiffent, ita tamen, ut omnem veram virtutem fubtili quadam et fallaci dialectica pellerent potius, quam firmarent et auditorum animis infigerent. Socrates tamen aeque fano fenfu et veri virtutisque

amore ductus, ac philoſophiám iſtorum hominum, qui Sophiſtarum nomine veniunt, peroſus, unus exſtitit, qui ſincera ingreſſus via ad veram ethicam tradendam atque juvenilibus Athenienſium animis informandam, falſam Sophiſtarum disciplinam et rationem evertere ſtuderet. Neque tamen multum profecit, quamquam doctrinae ſuae novitate plures nobiles Athenienſium juvenes ad ſe allexerat, quum eo deſtitutus eſſet ingenii acumine, quo ſolo Sophiſtarum perverſitas et damnoſa ratio detegi et in vera luce poni potuiſſet. Jam vero Plato, inſignis Socratis discipulus, pari quidem animi integritate, altiore tamen ingenio atque doctrina, facili negotio fallacem et perverſam Sophiſtarum methodum perluſtrabat, et omnino is erat, qui pellere illos et opprimere poſſet. Bene autem perſpectum habuit, ſingulis iſtis doctrinis, et abrupte poſitis praeceptis, quae a Socrate edoctus eſſet, nihil fere contra Sophiſtas effici poſſe, ſed altiore, ratus, opus eſſe judicio, ante omnia falſam Sophiſtarum dialecticam evertere, veramque philoſophandi viam monſtrare adortus eſt. Quod quidem paſſim fecit tum in omnibus dialogis ſuis, tum potiſſimum in Phaedro, ubi aperte ſuam philoſophandi rationem opponit Sophiſtarum methodo. Et firmam ſane munivit philoſophiae viam expoſtulans, ut philoſophus ante omnia a ſingulis rebus, quae in ſenſus cadunt, abſtrahat notiones quasdam generales, earumque certam firmamque ſibi comparet rationem atque definitionem, deinde autem notiones illas generales accurate ſecernat in notiones ſpeciales, et ita descendat ad res individuas, ut cujusvis rei firmam ſibi poſſit exhibere notionem atque definitionem [1]). Quam quidem rationem ipſe ſequutus eſt in disquiſitionibus omnibus. Non tamen in eo acquiescere poterat, ut Sophiſtarum rationem atque methodum falſam eſſe, et a vero longius abducere probaret, ſed ipſa eorum principia atque

1) Egregie haec expreſſit in Philebo. T. II. p. 20 ſqq.

praecepta refellenda erant atque evertenda. Inanibus autem armis dimicaſſet, ſi ſingulis praeceptis oppoſitis illis, hoc efficere ſtuduiſſet; ad intimas atque remotiſſimas agendi cauſſas, et ad ſumma ethices principia progrediendum erat, atque omnibus partibus cohaerens disciplina conſtituenda. Nullo enim alio modo Sophiſtarum poteſtas in animos hominum effringi poterat. — Abruptae enim opiniones, et praecepta per ſe poſita, aliquamdiu quidem placent, et pro veris habentur, niſi vero firmo fundamento illigata ſunt, facile labefactata ex animo eripiuntur [2]). Quo factum eſt, ut videamus omnem operam Platonem navaſſe in principiis ethicis fundandis et firmandis, minus curans ſingula praecepta omnia ex iis derivanda. Itaque nec ex ſingulis quibusdam praeceptis atque doctrinis de tota Platonis ethica judicium ferendum, ſed ex univerſo principiorum et ſententiarum connexu vera quaedam notitia haurienda eſt.

Quae quum ita ſint, jam ſponte ſequitur, non eſſe illam ethicam, quam vulgaris quisque et indoctus homo intelligere et adhibere poſſit, ſed talem eſſe qua doctus tantum atque philoſophus recte poſſit uti. Quis enim, niſi doctus et cogitando adſuetus, ad intimas veritatis latebras mente ſequi, et inde a ſummis principiis ſingula ſibi, officia ac praecepta deducere valet? Neque vero aliud quidquam agere potuit Plato, niſi ut docte rem ſuam tractaret; Sophiſtae enim philoſophi ac docti homines re-

---

2) Quod ipſe Plato profeſſus eſt in Menone. T. II. p. 97. E. 89. A. καὶ γὰρ αἱ ἀληθεῖς δόξαι, ὅσον μὲν ἂν χρόνον παραμένωσι, καλὸν τὸ χρῆμα, καὶ πάντα τἀγαθὰ ἐργάζονται· πολὺν δὲ χρόνον οὐκ ἐθέλουσι παραμένειν, ἀλλὰ δραπετεύουσιν ἐκ τῆς ψυχῆς τοῦ ἀνθρώπου· ὥστε οὐ πολλου ἄξιαι εἰσὶν, ἕως ἄν τις αὐτὰς δήσῃ αἰτίας λογισμῷ. κ. τ. λ. Cf. Phaedr. T. III. p. 256. ſq.

fellendi erant. Quod tamen qui fieri potuit, nisi docto et philosophico modo? Sophistarum vis in animos nobilium ac eruditorum juvenum coërcenda erat; itaque eruditis animis Platonem ethicam suam scripsisse necesse est. In vulgus enim nec altioris indaginis homines minimam vim Sophistae exercuerunt.

Restat, ut eam sententiam irritam esse probemus, quae et a veteribus et a recentioribus quibusdam [3]) prolata est, Platonem splendoris atque gloriae magis fuisse cupidum, quam veri virtutisque studiosum, et saepenumero veritatem arti atque sublimi orationi postposuisse, ne multa, Sophistam illum fuisse omnium maximum. — Non illud negamus, non in omnibus dialogis reperiri veram Platonis mentem, immo lubenti animo concedimus saepe philosophum nostrum non id egisse ut vera quaedam sententia in fine disputationis ponatur, sed subtili dialectica verum ipsum pepulisse. Attamen nemo, si modo paullo accuratius rem spectemus, Platoni illud vitio vertet. Quum enim Plato duplicem sibi proposuisset finem, alterum ut Sophistas offenderet atque ridiculos prostitueret, alterum ut pro falsa istorum ratione et disciplina vera philosophiae jaceret fundamenta: utrumque finem modo conjunxit, modo separavit. In omnibus istis libris, ubi Socratem cum Sophista quodem interloquentem facit, nihil aliud illum sibi proposuisse censeo, quam ut ostenderet illorum stultitiam vanamque ostentationem, utque illos, qui in dialectica versatissimos sese jactarent, ipsius dialecticis vinculis ita irretiret, ut pudore suffecti, ipsi ignorantiam suam confiteri coacti essent. Hoc studium satis apertum est in Euthydemo, in Hippia majore et minore, quibus si omnia quae insunt, veram Platonis fuisse sententiam

---

3) Dionys. Hal. V, 208. 209. VI. 964. 972. 1032. Meiners Gesch. der Ethik, T. I. p. 196.

putaremus, ridiculum prorſus ipſum Sophiſtam faceremus. In reliquis autem hujus generis dialogis, in Protagora et Gorgia, etiamſi ſummum argumentum revera Platonis mentem referre putemus, tamen minime ſingula quibus illud probare ſtudeat, genuinam philoſophi doctrinam eſſe arbitrandum eſt. Quod quidem ſatis manifeſtum ſit, inſtituta Protagora et Menonis comparatione, in quibus unum idemque argumentum tractatur. Negatur enim in utroque doceri poſſe virtutem. Sed vide quam longe utriusque ratio diſtet! Protagorae Socrates ne verbum quidem largitur, ſed cumulatis ſophismatibus eum irretit, nullum argumentum ad finem proſequitur, ſed ab uno ad alterum celerrime transgreditur. Nec omnino tota quaeſtio, de qua ſermo eſt ſolvitur, ſed Sophiſtam ridiculum proſtitutum atque pudore ſuffuſum relinquit Socrates. In Menone autem, ubi non Sophiſtam adverſarium, ſed juvenem Athenienſem auditorem habet, eandem rem ex altiſſimis philoſophiae cauſis repetit, riteque expendit, quid ſit virtus; et in his fundamentum illud philoſophiae platonicae, idearum doctrinam, cujus in Protagora nullam feciſſet mentionem, rurſus deprehendimus. Hoc demum in dialogo res, de qua ſermo eſt ad finem perducitur, ut veram inde Platonis mentem conſpicere poſſimus. Qui vero Plato Sophiſtas melius potuiſſet vincere, quam ipſorum armis illos premens, et quid profeciſſet, ſi tanta ſuperbia tumentes alia quadam via meliora docere conatus eſſet? — Quis igitur ſubtilem iſtam artem atque fallaciam, illo fine perſpecto, opprobrio vertet, quum in reliquis Platonis libris nullum iſtius veſtigium reperiat? — His autem ſummum veritatis ſtudium tam manifeſtum ineſt [4]), ut nemo Platonem eam ob cauſam ſatis poſſit admirari. Qui praeterea fieri potuiſſet, ut is, qui Sophiſtarum rationem atque me-

4) Cf. potiſſimum locos hosce: Phaedr. T. III, p. 273. D. E. 276. 278.

thodum ubique fere ridiculam et abominandam reddere ſtudeat, ipſe Sophiſtarum maximum ſeſe exhibuerit? Qui fieri potuiſſet, ut is, qui totis viribus conetur [5]) ne male intelligantur, quae vera eſſe ſibi perſuaſerit, utque recte peroipiant homines, quid ſibi velit, arte et fallacia falſas opiniones atque ſententias lectoribus et auditoribus ſuis obtrudere voluerit? Compares quaeſo eam rationem firmamque viam, qua Plato aliquid probare ſtudet [6]) cum Sophiſtarum methodo, et admiraberis ſtudium illud quo ſemper ad altiſſimas veritatis ſedes penetrare conatus eſt, atque deſines philoſophum noſtrum Sophiſtam putare, qui non vera ſed artificioſe excogitata ſuadere voluerit.

Sed etiamſi cogeremur largiri, in rebus metaphyſicis Platonem interdum magis gloriam et novitatem ſectatum eſſe, quam veritatem, tamen eandem in ethica ipſius rem eſſe, nemo unquam probabit. Certiſſimum eſt, illum fuiſſe Platonis finem in rebus mores et vitam ſpectantibus, ut vera, non nova quaereret.

§. 2.

Quando nunc ſpectato et expoſito Platonis conſilio in ethica ſua conſtituenda, ad illum finem animum adverti-mus, quo Jeſus magnum iſtud atque egregium opus novam de virtutibus officiisque doctrinam humano generi traden-di, adortus ſit atque perfecerit: ante omnia rurſus illorum

---

5) Cf. v. c. Phaedonem, ubi coelum terramque movet ad animae immortalitatem probandam, ne ullum relinquatur dubium.

6) V. c. in Philebo et Phaedro. Egregie quoque in Cratylo. p. 64. Socrates profitetur, quantopere cavendum ſit, ne in disquiſitionibus a nobis ipſis decipiamur: *δοκεῖ μοι χρῆναι ἀπανασκέψασθαί τι καὶ λέγω. τὸ γὰρ ἐξαπατᾶσθαι αὐτὸν ὑφ αὑτοῦ πάντων χαλεπώτατον. κ. τ. λ.*

temporum, quibus ille prodiret, habenda eſt ratio. Tres fuerunt tunc temporis inter Judaeos ſcholae, Phariſaeorum, Sadducaeorum et Eſſenorum, quarum quaevis ſibi ſuam formaviſſet philoſophiam moralem [7]). Phariſaei nimis anxie non ſolum in libris V. Teſtamenti, ſed in traditionibus quoque haerentes, et externos uſus, caerimonias, ſacrificia ritusque ſummam religionis putantes, dum veram atque ſinceram animi virtutem negligebant, aura populi quam maxime fruebantur, illumque a vera virtutis via ad ſuperſtitionem atque falſas opiniones abducebant. Sadducaei autem, quamvis puriorem ethicam docerent, et graecorum quoque philoſophorum placita admitterent, tamen animae immortalitatem, aeternamque tam virtutis remunerationem, quam peccatorum punitionem negabant; quo factum eſt, ut hominem probum et honeſtum omni ſpe et ſolatio privarent, improbum vero et ſceleratum ſecurum redderet in peccando. Qui tamen minimum in plebem valentes, inter divites et optimates imperii ſatis amplam ſectam ſibi paraverant. Eſſeni denique rigidis et monaſticis fere moribus inſignes, omnem vitae jucunditatem ſocietatemque humanam fugiebant, et in ſilvis locisque deſertis ſolitariam degebant vitam. His igitur potiſſimum ſectis, quum populus Judaeus in diverſas traheretur partes, maximumque inde mores ejus caperent detrimentum, divinum Jeſus cepit illud conſilium, ethicam conſtituendi quae omnibus ſatisfaceret, omnibusque ſimul oſtenderet viam ad ſummam praeſtantiam moralem aſſequendam. Veram atque ſinceram virtutem, quae vires humanas non excederet, voluit reſtaurare, ſimul confirmata ea fide, qua aeternam animi vitam, juſtamque felicitatis et miſeriae poſt mortem retributionem ſperamus; quae quidem ſpes hominibus efficaciſſimum ſemper fuit momentum ad recte

---

7) Uberius ſectas illas deſcripſit Ven. Staeudlin in: Geſch. der Sittenlehre Jeſu Bd. 1. p. 417 ff.

probeque vivendum. Non doctrinam philofopho tantum intelligendam tradere voluit, fed eas virtutes, eaque officia et agendi praecepta docuit, quae omnes facile animo comprehenderent, quibusque fervatis omnes animi tranquillitatem veramque felicitatem nanciscerentur. Neque vero uni cuidam populo, vel Judaeis potiffimum doctrinam fuam deftinavit, fed toti generi humano fervator et praeceptor effe voluit; itaque ethicam fuam ab omni civili inftitutione civitatumque legibus feparavit.

§. 3.

Jam hoc modo expofito fine, quo Plato et Chriftus ethicas fuas conftituerint, fuavis exoritur utriusque comparatio, jamque in his magnum detegetur discrimen. Quamvis enim uterque homines a falfis opinionibus atque principiis liberare, temporum depravationi occurrere, atque firma principia, veramque virtutis viam oftendere et munire ftuduerit, tamen pari modo illud non fecere. Platonis enim temporibus eruditorum et altioris loci hominum mores et opiniones, Sophiftis auctoribus, majore affecta erant labe quam reliqui populi, at vero qnum Chriftus prodiret, inferiores potiffimum populi Judaei homines a Pharifaeis in falfas opiniones, falfamque agendi rationem abducti erant. Quo factum eft, ut alter eruditos et altioris indaginis homines potiffimum fibi fumeret docendos, alter vero populi partem minus cultam ante omnia emendare vellet. Doctos ille Sophiftas, populares hic Pharifaeos redarguit. Licet vero concedamus, id quod fortaffe verum eft, Platonem id potiffimum egiffe, ut a doctis hominibus incipiens, reliquo etiam populo paullatim veriora principia impertiret, nemo tamen hiftoria et experientia edoctus, contendet, recta illum hac in re via profectum effe. Omnium enim temporum hiftoria probatur, doctrinam, quae ab initio philofophis tantum et doctis auribus deftinata fuerit, nunquam e fcholis invulgus propagari, fed

una cum ſchola perire; id quod revera Platonis quoque ethicae accidit. Meliorem igitur haud dubie viam Chriſtus ingreſſus eſt, qui a populi turba profectus, huic ante omnia veriores purioresque rerum atque officiorum notiones, ſinceramque virtutem tradendam eſſe cenſuerit, minime dubitans, quin deinde magis magisque principiis ſuis in vulgo propagatis, doctiores etiam homines et philoſophi illa benigne ac ſponte accepturi eſſent. Nec exſpectationi ſucceſſus defuit. Quamobrem Servatori noſtro magnam ſapientiae et rerum intelligentiae prae Platone praeſtantiam adjudicandam eſſe cenſeo. Fortaſſe tamen aliquis non ſine aliqua ſpecioſa ratione objicere poſſet, rem iſtam poſitam fuiſſe in rerum ac temporum conditione. Quum enim inter Judaeos Phariſaei in populi turbam, inter Graecos autem Sophiſtae in eruditos potiſſimum homines vim ſuam damnoſam exercuerint, nihil fuiſſe magis in re atque natura poſitum, quam ut a principio Chriſtus in plebem Plato vero in philoſophos animum adverterit, nec ſecundum conſilium et exſpectationem, ſed forte fortuna factum eſſe, ut ethicae Chriſtianae major, amplior diutiusque durans quam Platonicae in animos hominum vis contigerit. Etiamſi haec aliquis objiciat, tamen nihil inde meritum Chriſti capiet detrimenti. Manifeſtum enim eſt, et expluribus Jeſu ipſius dictis [8]) patet, eum omnes homines nulla facta exceptione, doctrina ſua in unum conjungere gregem voluiſſe. Quod autem ſi ipſe voluit, ipſius ſapientiae, nec caſui tribuendum eſt, quod eam ingreſſus eſt viam, qua revera voti ſui atque conſilii compos factus ſit. Quisque igitur, uti volet, ponat Platonem aut philoſophos tantum, aut vulgus quoque per philoſophos emendare et docere ethicamque ſuam univerſalem reddere voluiſſe, Chriſto ſemper major aut voluntatis aut ſapientiae

---

8) Matth. 28, 19.

laus quam Platoni tribuenda eſt. Accedit autem, quod Plato profecto non ſperavit, doctrinam ſuam moralem patriae ſuae fines exceſſuram eſſe, nec in animo habuit gentibus quoque barbaris ethicam ſcribere, (alioquin enim praecepta ſua et principia non tam arcte aut civilibus inſtitutionibus aut populi ſui opinionibus ac religionibus junxiſſet) Chriſtus vero omnibus hominibus una cum religione ſua, ethicam ſuam tradere voluit et commendare. Quodſi miramur Platonis egregium ingenium, quod ad iſtud usque tempus inaudito modo ethicam tractavit, multo magis miranda eſt Jeſu illa animi ingeniique excelſitas, qua neque philoſophorum tantum ſcholis, neque uni populo, ſed univerſo mundo, novam eamque puriſſimam et ſalutiferam de Deo et homine doctrinam tradere conſtituerit.

Caput II.

DISQUIRITUR DE RATIONE, QUA PLATO ET QUA CHRISTUS MORALES SUAS DOCTRINAS EXHIBUERINT.

§. 4.

Quamvis haec levioris momenti eſſe videatur disquiſitio, ratione habita illius finis, quem nobis in his propoſuimus, tamen haud plane eam putavi praetermittendam. Etenim primum ratio et externa forma ethicae Platonicae atque Chriſtianae arctiſſime cohaerent cum fine auctorum, modo a nobis expoſito, et haud minima inde lux illi ſuppeditatur. Deinde autem ratio et externa forma recte perſpecta et exhibita, quam maximi momenti eſt, ut veram doctrinae ipſius mentem intelligamus. Denique ſuavis inter utramque rationem intercedit ſimilitudo, conjuncta ſimul

cum mira diſſimilitudine. Hae cauſſae fuerunt, quibus adducti de ratione Platonicae et Chriſtianae ethices jam aliqua verba faciemus.

§. 5.

Utrum Plato revera moralis philoſophiae ſyſtema, quod noſtri homines vocant, in animo habuerit necne, non eſt quod hoc in loco dijudicare poſſimus, quum quaeſtio illa ex ipſis ejus doctrinis ad finem perduci debeat. Eam tantum adhuc formam ſpectamus, qua indutam ethicam Platonis accepimus. Sole autem clarius eſt, Platonem doctrinas ſuas ſyſtematica forma indutas non exhibuiſſe. Non unum cohaerentem et perpetuum nobis ſcripſit librum, in quo univerſam ethicam a ſummo principio profectus et in ſingulas inde doctrinas descendens, tractaſſet, ſed ſingulis eam dialogis diſpoſuit, et paſſim reliquis philoſophiae ſuae partibus immiscuit. Nihilominus interior quidam connexus quorundam dialogorum [9]) et principiorum omnium facile detegitur. Saepe enim fit, ut haec vel illa primaria doctrina in aliquo dialogo indigitetur tantum, atque primis lineamentis depingatur, quam deinde in alio libro copioſius tractatam et expoſitam reperiamus, et unde aliae ſententiae atque praecepta deriventur. Hoc modo, ut exemplum exhibeamus, doctrinam de ideis philoſophus noſter obscuro et allegorico modo indigitat in ea pulcherrima oratione de amore, quam in Phaedro legimus. Eandem deinde doctrinam paullo clarioribus verbis expreſſit in Sympoſio; ſed vera lux demum his omnibus affunditur, ubi legerimus Philebum, Phaedonem, Parmenidem, Theaetetum, aliosque libros, ubi Plato manifeſto docet, quid ſibi illis ipſis ideis

9) Vide dialogorum connexum, quem acutiſſime illuſtravit Aſtius in: Leben und Schriften des Platon praeterea Schleiermacher in: Ueberſ. des Platon. Tom. I. Einleitung.

ſuis voluerit, qualemque in tota philoſophia ſua tam metaphyſica, quam morali vim habeant. Itaque ſumma atque primaria ethices principia atque fundamenta, per omnes hujus generis dialogos, ſi nonnullos exceperis, ſemper recurrunt, modo obscurius et brevioribus verbis, modo clarius et copioſius expreſſa. Quo fit ut unum dialogum ex ſe ipſo explicare et intelligere nequeas, niſi reliquorum etiam rationem habueris. Singuli enim loci per ſe poſiti ſaepe ambigui et obsiuriores eſſe videntur, nec veram Platonis mentem divinare poſſemus, niſi alios locos, totumque interiorem Platonis philoſophiae connexum adhibere et comparare liceret. Quisquis igitur Platonem in omnibus recte intelligere cupit, is univerſum ſingulorum locorum connexum ſpectet neceſſe eſt, neque uni abrupte poſito loco, etiamſi certiſſimus ſit nimium confidat; quam maximos enim inde Platoni poſſet obtrudere errores; id quod a multis Platonis interpretibus ſaepe factum eſt. Hinc quoque multi fluxerunt loci reliquis contrarii, quibus platonica ſcripta laborare vulgo dicuntur. Ex his autem conficitur, cohaerentem et quandam ſyſtematicem rationem Platonis philoſophiae omnino ineſſe, unde jam nunc auſpicari licet, de quo infra verba faciemus, revera illum ſyſtema in animo habuiſſe. Praeterea autem, ſi ſingulos quosdam dialogos ſpectemus in his plena atque abſoluta prorſus ratio illa ſyſtematica non cognosci non poteſt. Legas v. c. Philebum [10]), ubi ipſe diſerte dicit, proficiscendum eſſe in

---

10) T. II. p. 13. ſqq. Poſtquam Socrates aliquamdiu cum Protarcho disputavit de ſummo bono utroque contrarium alteri contendente. Socrates dicit, non poſſe ad finem perduci quamlibet disputationem, altera ſententia alteri oppoſita, niſi in altiores cauſas et generales rerum notiones adſcendatur. p. 13. D. *ὅτι σε μιμούμειος ἐγὼ καὶ ἀμινόμενος ἐὰν τολμῶ λέγειν ὡς τό ἀνομοιότατον ἐστὶ τῷ ὁμοιοτάτῳ παντων ὁμοιότατον, ἕξω τὰ αὐτα σοι λέγειν· καὶ Φανούμεθά τε νεώτεροι τοῦ δέοντος, καὶ ὁ λόγος ἐκπεσὼν ἡμῶν οἰχήσεται.* c. Phaedr. T. III. p. 275. D. F.

disquisitione qualibet de summis rerum notionibus (ἴδεις), quibus recte secundum classes et species divisis, descendendum esse ad singulas et rerum notiones et res ipsas individuas ita, ut certum inde de quavis judicium ferre possimus. Quam quidem rationem ipse non solum statim in illo ipso dialogo, sed in reliquis etiam v. c. in libris de Republica, Theaeteto; in Phaedro, egregie adhibuit. Quandoquidem vero in singulis his libris systematicum st dium philosophi nostri aperte detectum reperimus, haud temere profecto putabimus omnes quoqus doctrinas, quae revera et ad universam et ad moralem ejus philosophiam pertineant, etsi non in scriptis tamen in animo ejus arctissimo systematis vinculo conjunctas fuisse.

§. 6.

Jam si illam rationem Platonicam comparaverimus cum Christiana, suavem quidem similitudinem, sed majorem discrepantiam reperiemus. Primo quidem oculorum obtutu, in hoc potissimum similis esse videtur Christianae ethices ratio Platonicae, quod continua et exacta systematica forma non induta est. Sed minimi haec similitudo momenti erit, et evanescet fere, si altius spectaverimus. Vidimus enim in Platone, etiamsi universam ethicam systematice non composuerit, tamen in singulis partibus ejus ingenium et studium singulas doctrinas atque opiniones ex altissimis caussis repetendi, a notionibus generalibus ad res quaslibet descendendi, et omnino omnia praecepta ethica ratiocinationis vinculis ligandi. Quo tamen ingenio et studio et Christi et Apostolorum praecepta moralia sunt destituta. Quamquam enim occurrant quaedam praecepta ac principia, quae reliqua omnia amplecti videantur, et quibus Christus ipse et Apostoli summum momentum imposuerint [11]), ta-

11) Matth. XXII, 34-40. Matth. XXIII, 25 sqq. Gal. V, 13-15. Matth. VII, 12. Luc. VI, 31. Matth. V, 48. 1 Petr. 1, 15 sq.

men illa ipſa, quum non uni ſummo principio ſubjungantur, ſatis indicant, neque Chriſti neque Apoſtolorum animis ethices quoddam ſyſtema impreſſum fuiſſe. Etenim quodvis ſyſtema unum tantum principium ſummum habeat neceſſe eſt. Itaque nec Chriſtus, ubi ſummam legem moralem eſſe dicit, Dei et proximi amorem [12]), principium quoddam ethicum innuere voluit; ſed, vi iſtorum locorum connexum ſpectamus, primarias legum Moſaicarum indicare voluit. — Nusquam vero nec ſingula quaevis praecepta ad altiores cauſſas reducuntur, nec ex illis majoribus praeceptis ac principiis ſingula derivantur, ſed omnia tanquam divina oracula ac leges ſapientiſſimi legislatoris promulgantur. Quae quidem res, ſi tam Orientalem cogitemus autorem, nec graecum, quam ſummum illud conſilium quod Chriſtus animo et dictis expreſſerit, ſpectemus, miros nos amplius habere non poteſt. Quandoquidem enim non Philoſophos tantum docere, ſed doctrina ſua veriores opiniones ſincerioraque principia univerſo generi humano impertire voluit, ſyſtematica forma prorſus fuit releganda. Licet enim verum ſit, quod Plato in Menone [13]) effatur, veras opiniones, niſi ſcientiae vinculis ligatae, cauſſaeque earum perſpectae ſint, aliquamdiu tantum animo inhaerere, facile autem deinde expelli: tamen haec ſcientiae et cauſſarum vincula non eandem vim habent in rudi populi turba, niſi alia quaedam auctoritas accedat. Ponamus, id quod verum eſt, vel homines non eruditos et cogitationi parum adſuetos, intelligere poſſe cauſſas atque principia virtutum ac officiorum ſuorum, ſi populari quadam ratione ipſis exhibeantur: vix tamen putandum eſt, talem popularem ethicae ſcientiam ac

---

Matth. VII, 21. XII, 50. Eph. VI, 6. 1. Rom. XII, 2. Joh. 2, 17. Rom. VIII, 2-10. Gal. VI, 8. Phil. IV, 8.

12) Matth. XXII, 34-40. Marc. XII, 28-34. Luc. X, 25-37.

13) T. II. p. 97. E. 98. D.

disciplinam, etiamſi veriſſima ac puriſſima ſit, unquam magnam in univerſi cujusdam populi ſentiendi ac cogitandi rationem vim eſſe adſequuturam. — Potius divina opus eſt auctoritate, qua ethica nitatur, ut non quorundam hominum, ſed univerſae gentis animis moribusque vim ſalubrem atque durantem inferat. Itaque cum religione quoque erit conjungenda. Jam vero Chriſtus gaudens illa divina auctoritate, tanquam divina oracula, divinasque leges, doctrinam ſuam proferre debeat, ſi voti conſiliique ſui compos fieri vellet. Ut igitur philoſophica deductione et argumentatione eguiſſet, tantum abfuit, ut potius illa vim doctrinae ſuae admodum minuiſſet, et divina ei forma ademta, humanae ſcientiae ſpecimen induisſet. Dubium enim eſſe videtur, quod argumentis eget: quodſi Jeſus argumentis ethicam ſuam fulcire conatus esſet, talem eam nobis tradidiſſet, de qua adhuc poſſit dubitari, non eam, quae divinam habuerit originem. Quisquis igitur, Chriſtum vituperare auſit, quod ethicam ſuam philoſophica non ſuſtentaverit ratione, ille ipſe laudat Sapientiam ejus atque divinum ingenium. Quibus tamen omnibus nequaquam efficitur, ut nec nobis ſyſtematica aut philoſophica ratione utendum ſit in ethica Chriſtiana tradenda. Immo illa ita eſt comparata, ut ad veram ipſius mentem percipiendam, ſingula praecepta ſyſtemate jungere neceſſe ſit. Nonnulla enim et Chriſti et Apoſtolorum praecepta moralia aut ambiguis aut obscuris verbis ſunt expreſſa ita, ut niſi aliis locis comparatis et univerſae ethices vi ac mente perſpecta, verum inde ſenſum elicere nequeas. Praeterea vero nobis, qui ethicam Chriſtianam traditione ac libris accepimus potiſſimum cavendum eſt, ne quae ab auctore tanquam divina praecepta prolata ſint, ea temere noſtra faciamus, et coeco ductu ſequamur, ſed ex ipſorum vi atque natura cognosci debet, num divino auctore ſint digna: quod tamen melius fieri nequit, quam Syſtemate illis conjunctis et ex altiſſimis humanae rationis cauſis repetitis.

§. 7.

Fieri poteſt, ut aliquis egregiam ſimilitudinem cernat in eare, quod et Chriſtus omnem ſuam doctrinam a Deo repetat, et Plato interdum non ſuam mentem, ſed divini cujusdam numinis inſpirationem exponere videatur. Pertinent huc inprimis iſta, quae de Daemone veniunt, cui Socrates omnem ſuam agendi rationem acceptam referre ſolet [14]). Sed licet in his miremur Socratis modeſtiam, et concedamus, vocem aliquam divinam ex eo loquutam eſſe (quae tamen in quovis melioris indolis homine viget) tamen longealia res eſt, quam ratio illa, qua Chriſtus omnia ſua praecepta ex Dei mandato protulit [15]). Referenda autem ſunt iſta ad Socratis notam ironiam, qua quum ipſe ſe nihil ſcire profiteretur, magniloquos et ſuperbos Sophiſtas quam maxime premeret. Vix tamen Platoni illius rei aliqua pars tribui poteſt, qui quum Socratem in dialogis ſuis accurate fingere vellet, rationem ejus et modum adhibere debebat. Eadem autem res eſt in Convivio Platonis [16]), ubi Socrates quum de amore loquendi ſeries eum maneret, ſermonem non tanquam ſuum, ſed ut a prophetica anu acceptum profert. Nemo profecto in his veram conſpiciet narrationem. Sed quum Socratis ſermo prae reliquis omnibus ante eum habitis longe emineret, modeſtiae ejus conſentaneum erat, ut tanquam acceptum ab alieno ore eum eloqueretur. Quare Plato egregie atque veriſſime in illo libro Socratem affinxit. Eodem autem modo dijudicanda ſunt, ſi qua talia in reliquis Platonis libris occurrant, nec ullum praeterea veſtigium reperiri poteſt, unde efficiatur, Platonem de divina quadam philoſophiae ſuae inſpiratione cogitaſſe; immo ubique illam, ſi rem ſpectamus, ut ex ſua mente

14) Cf. inter alios locos. Apolog. T. I, p. 31. D. ſqq.

15) Jo. VII, 16. ἡ ἐμὴ διδαχὴ οὐκ ἔστιν ἐμή, ἀλλὰ τοῦ πέμψαντός με. c. VIII, 38. 26. 28.

16) T. III. p. 199 ſqq.

profluentem, modesto tamen sui praeceptoris modo, quo omnia ex interloquentium animis elicere videatur, exponit. Uti igitur doctrina Platonis humanae philophiae, ita Jesu Christi praecepta divinarum legum speciem prae se ferunt.

§. 8.

Major utriusque ethices, si formam spectamus, similitudo cernitur in illo, ut ita dicam, vestimento, quo et Plato et Christus doctrinas plerumque induant. Uterque enim non ubique loquitur oratione proprie intelligenda, sed plerumque imaginibus, fabulis et parabolis veram suam sententiam exprimit. Quae tamen tot tantaque sunt in utroque, ut singula enumerare longum sit. Praeterea vero multa in libris Platonicis veniunt, quae poëta sint digniora quam philosopho, quo pertinent omnes istae allegoriae quibus tantum abest ut nova menti Philosophi lux accedat, ut potius philosophia obscura atque dubia fiat. Exemplo est allegoria ista, quam in Phaedro [17]) legimus, si poëtam cogites pulcherrima, philosopho autem haud perinde digna. Ingentibus enim imaginationis fictionumque sumtibus, nihil aliud Plato probare voluit, nisi naturam animarum humanarum, et quomodo factum sit, ut divinae ac sempiternae notiones (ἴδεαι) illis sese aut intime aut obiter impresserint. In his autem poëtam a philosopho separare difficile est factu, et fere ejusmodi res est, ut si formam et ornatum poëticum demas, pauca tantum reliqua sint, quae pro vera materie haberi queant. — Eadem fere res est in Symposio ubi Diotimam fabulosam atque mythicam Amoris originem narrantem fingit. Hinc factum est, ut oratio Platonis interdum liquida atque plana fluat, interdum vero in altissimos fabularum et fictionum recessus redeat, per quos acerrimus

17) T. III. p. 246 sqq.

tantum oculus veritatem indagare possit. Sed quamquam haec ita se habeant, tamen puto Philosophum ab omni opprobrio esse liberandum. Non enim semper philosophus esse voluit, sed quum nobiles Atheniensium juvenes frigidae philosophiae parum adsuetos allicere vellet, per elegantem illam formam, suam philosophiam maxime illis commendavit, neque timere debuit, ne quae ficta haberi vellet pro vera ipsius mente haberentur. Cogitemus enim Graecos illos, qui singulari Homericarum fabularum flagrarent amore, quamquam bene scirent, ex poëtarum animis illas esse profectas, nonne illos ad Platonicam doctrinam trahi oportebat, quam eodem nitido et eleganti vestimentó indutam novissent? Quo vero, obsecro, jure nos rigidis nostrorum philosophorum systematibus adsueti, condemnabimus philosophum, qui suo nec nostro tempori scribens, eo usus est modo, quo certissime suorum hominum animos sibi se conciliaturum speraret? Licet igitur judicemus, Platonem ut philosophum nimis eleganti orationi indulsisse, tamen nemo illi hanc rem vitio vertet, temporis hominumque habita ratione.

Pars Posterior.

COMPARANTUR ETHICES PLATONICAE ATQUE CHRISTIANAE PRINCIPIA.

Caput I.

DISQUIRITUR DE SUMMO PRINCIPIO ETHICES PLATONICAE, ET SI QUID SIMILE EST IN ETHICA CHRISTIANA.

§. 9.

I. Offendimus in Platonis ethicis doctrinis principium quoddam, quod reliqua ejus praecepta omnia amplecti videatur, et quod ipſe ſummum humanae vitae finem eſſe voluerit. Illud autem nullum aliud eſt, niſi illa *ὁμοίωσις θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν*, ſaepe laudata. Hancce ſummam illum voluiſſe legem moralem eſſe, tam aperte pronunciatum eſt in Theaeteto [18]), quam manifeſtius fiet ſi veram illius legis vim atque naturam expoſuerimus.

18) T. I. p. 176. A. B. *ἀλλ' οὔτ' ἀπολέσθαι τὰ κακὰ δυνατόν — οὔτ' ἐν θεοῖς αὐτὰ ἱδρύσθαι· τὴν δὲ θνητὴν φύσιν καὶ τόνδε τὸν τόπον περιπολεῖ ἐξ ἀνάγκης· διὸ καὶ πειρᾶσθαι ἐνθένδε ἐκεῖσε φεύγειν ὅτι τάχιστα· φυγὴ δὲ ὁμοίωσις θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν· ὁμοίωσις δὲ, δίκαιον καὶ ὅσιον μετὰ φρονήσεως γενέσθαι.* Cf. Polit. X. p. 613. A. *δίκαιον γενέσθαι, καὶ ἐπιτηδεύοντα ἀρετὴν, εἰς ὅσον δυνατὸν ἀνθρώπῳ, ὁμοιοῦσθαι Θεῷ.* Lib. VI. p. 500. C. D. Legg. IV p. 716. B. C.

II. Ut vero vim atque naturam illius ὁμοιώσεως θεῷ recte teneamus, necesse est paullo altius e philosophia Platonica eam repetere, ubi simul arcta Platonicae metaphysices atque ethices cohaerentia detegetur. Deus optimus maximus qui rerum omnium et ipsius hominis auctor est, numen est sanctissimum, sapientissimum, et omni ratione praestantissimum [19]). Omnes in illo rerum omnium ideae [20]) sive exemplaria secundum quae omnia in his terris sunt effecta atque creata conjuncta latent. Ipse Deus exemplar est, secundum quod universum mundum creavit [21]). Istarum autem idearum summa omniumque praestantissima est idea boni atque pulchri (τοῦ καλοῦ κἀγαθοῦ) [22]). Immo Deus ipse est τὸ ἀγαθόν; unum idemque est τὸ θεῖον et τὸ ἀγαθόν [23]). Jam vero Deus, qui ut universum mundum ita homines potissimum voluit esse aut fieri optimos [24]), ani-

---

19) Theaet. l. c. Θεὸς οὐδαμῇ οὐδαμῶς ἄδικος ἀλλ' ὡς οἷόν τε δικαιότατος. Tim. T. III. p. 29. 30. Tim. Locr. T. III. p. 93. 94. s. Legg. X. T. II. p. 886.

20) ἰδέα Platoni semper est, quod pluribus rebus individuis commune subjacet, ut unam efficiant speciem (εἶδος). Phileb. T. II. p 25. B. 16 D. Hae ideae sunt aeternae atque immutabiles (τὸ ὄντως ὄν). Itaque ἴδεα τοῦ αγαθοῦ, illud est, quod omnibus bonis, naturam boni subdit, abstracta boni notio, quae semper eadem est.

21) v. ll. cc. hoc sensu Deus in Philebo dicitur νοῦς βασιλεύς, ut qui rex sit atque possessor omnium idearum s. notionum.

22) Hanc comparat Soli, quandoquidem illa veritatem praebeat illis, quae intelliguntur, et intelligenti vim ad intelligendum porrigat. Polit. VI. T. II. p 508 sq. 505. A.

23) Phileb. T. II. p. 28 sqq. In hoc dialogo principium ethices platonicae religiosum constituitur. Nihil enim contendit rebus inesse boni, nisi quod regia ista mens illis immiscuerit. Itaque bonum omne in terris divinum est; quisquis igitur bonum appetit, ille divinum sequitur, et eo ipsi Deo similior fit. cf. etiam Phaedr. T. III. p. 246. E.

24) Tim. T. III. p. 29.

mabus hominum, priusquam corporibus adjunctae essent, et inquinatae, informavit easdem illas, secundum quas mundum creaverat ideas, summamque inprimis justi ac boni notionem [25]). — Sed anima quaevis humana est tripartita, ita ut una reliquarum sit dominatrix atque sola rationalis, altera nobilis quidem ac generosae indolis, quae tamen facile isti rationali parti pareat, seque regi ab illa patiatur, tertia vero deformis, bruta et indomita, quae reliquis semper reluctetur [26]). Illarum autem sola rationalis pars divinarum idearum compos est [27]), ita tamen, ut obscuratae in illa jaceant atque dormitent [28]). Jam posteaquam aliquamdiu animae exstiterunt sic comparatae, denique lapsu quodam facto humana corpora induunt et nascuntur [29]). Itaque in quovis homine dormitant ideae divinae [30]). —

III. His ex altiore Platonis philosophia repetitis, jam nunc vim atque naturam τῆς ὁμοιώσεως θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν, accuratius poterimus exhibere atque disponere, plura enim illa complectitur.

1. Primum id agendum est homini, qui Deo appropinquare et similis fieri velit, ut ideas h. e. rerum notiones generales et sempiternas, quae obscuratae animo ejus insitae sunt, ex tenebris in lucem protrahat, sibique clariores in

---

25) Passim in Timaeo, Theaeteto, Phaedone et Phaedro.

26) Videatur allegoria ista, quam in Phaedro legimus, ubi animam duobus equis comparat, quibus auriga moderator impositus est. T. III. p. 246. B. idem argumentum tractatur per totum librnm de Rep. et in pluribus locis.

27) Phaedr. T. III. p. 247. C. ἡ γὰρ ἀχρώματός τε καὶ ἀσχημάτιστος καὶ ἀφανὴς οὐσία οὕτως οὖσα ψυχῆς κυβερνήτῃ μόνῳ θεατῃ νῷ χρηται.

28) Phaedr. T. III. p. 246.

29) Hoc ex Phaedro satis liquet v. ll. cc.

30) Phaedo. T. I. p. 73.

dies reddere ſtudeat [31]). Quum vero idea boni ipſius omnium ſumma ſit [32]), potiſſimum ſtudium hoc eſſe debet, ut id quod per ſe et propter ſe ipſum bonum eſt, magis magisque cognoscat et intueatur. Quo enim clarior homini erit iſta notio boni ipſius, eo magis ſimilis eſt Deo qui ipſe bonum eſt, et clariſſimam boni notionem habet. Itaque homo qui Deo proximus eſſe cupiat, quantum fieri poteſt, a rebus mutationi et viciſſitudinibus obnoxiis animum abſtrahet, et illi quod in quaque re ſolidum eſt et aeternum advertet. Vitam aget contemplativam, nihil curans rerum externarum impetum ita, ut perpetuo mori videatur [33]).

2. Quisquis autem id quod per ſe bonum eſt recte cognovit et intuitus eſt, ille non poteſt quin agendo et ſentiendo quoque bonum appetat et ipſe bonus ſit [34]). Quum vero ſola ratio (τὸ λογιστικόν) divinarum idearum compos ſit [35]), ideoque ſit ea animae pars, quae revera divina dici queat [36]), atque ſuperior illis quae homo cum

---

31) Polit. VI. p. 485. C. D. p. 490. VII. p. 519. C. D. Quisquis verus philoſophus eſſe velit concumbere debet cum τῷ ὄντως ὄντι ita ut intelligentiam et veritatem gignat, verum cognoscat, vero vivat et alatur; omne falſum odio perſequatur, nec acquiescat in opinionibus (δοξάξειν). Phaedr. p. 247. Sympoſ. p. 210. cf. de Rep. VII. p. 517. B. C.

32) Polit. VI. p 505. A. B ἡ τοῦ ἀγαθοῦ ἴδεα μέγιστον μάθημα· ᾗ καὶ δίκαια καὶ τἄλλα προσχρησάμενα χρήσιμα καὶ ὠφέλιμα γίγεται.

33) Phaed. T. I. p. 66. E.

34) Theaet. T. I. p. 176. καὶ οὐκ ἔστιν αὐτῷ (τῷ θεῷ) ὁμοιότερον οὐδὲν ἢ ὃς ἂν ἡμῶν αὖ γένηται ὅτι δικαιότατος Legg. T. II. p. 716. δῆλον δὴ τοῦτό γε ὡς τῶν ξυνακολουθήσοντων ἐσόμενον τῷ θεῷ, δεῖ διανοηθῆναι πάντα ἄνδρα.

35) v. I. c. ſub. 28.

36) Phaed. T. I. p. 65. D. E. Politic. T. II. p. 285. E. 286.

beſtiis communia habet [37]), illam neceſſe eſt liberam eſſe et ſummum tenere imperium, ut quid bonum verumque ſit, nulla re impedita poſſit cognoscere. Itaque bonus quisque rationem ab omni aut affectuum aut libidinum impetu liberabit, ſolaque ratione ſe duci patietur [38]). Qua quidem in re divino numini ſimillimus erit, quod ſola ratione in agendo ducitur. Neque vero hinc efficitur, affectus et libidines prorſus eſſe opprimendas et quaſi necandas, tunc enim homo ſuam ipſius naturam everteret, et quod fieri nequit tentaret, ſed *κατὰ τὸ δύνατον* petenda eſt divini numinis ſimilitudo, idque agendum ut ne ratio e reliquis animae partibus detrimentum capiat vel in agendo prohibeatur [39]). Quisquis vero illud conſequutus fuerit, vera ille fruetur juſtitia (*δικαιοσύνη*) h. e. virtute, quae quidem a juſto rationis imperio pendet [40]).

Quodſi ſummum Platonis principium morale binis verbis liceat complecti, ſic fere erit exprimendum: Id age, ut Deo quantum poſſis ſimilis fias, dum et veri bonique notionem puriſſimam (*φρόνησιν*), eique obtemperans ſummam in agendo virtutem tibi comparas (*δικαιοσύνην καὶ ὁσιότητα*). Illud ip-

---

37) Polit. IX. p. 589. E. 590. C. D. Criton. T. I. p. 47. E. 48. A. Alcib. I. T. II. p. 183. B. C. *ἔχομεν οὖν εἰπεῖν ὅ, τι ἐστὶ τῆς ψυχῆς θειότερον, ἢ τοῦτο περὶ ὃ τὸ εἰδέναι τε καὶ φρονεῖν; — οὐκ ἔχομεν. — τῷ θείῳ ἄρα τοῦτο ἔοικεν αὐτοῖς κ. τ. λ.* Phaed. p. 79. D. E. 80. A.

38) Polit. L. IV. IX. X. pluribus in locis. Legg. I. p. 644. E. IX. p. 875. C. D. Apolog. p. 28. B. D. p. 32. D. Gorg. p. 482. B. C. et alibi.

39) Animum vel potius rationem hac in vita nondum ab omni moleſtia liberari poſſe probatur et in Theaet. l. c. et in Phaedore.

40) Inter plures locos cf. Polit. IV. p. 442. *ἀλλὰ μὲν δὴ δίκαιός γε, ὡς πολλάκις λέγομεν, τούτῳ καὶ οὕτως ἔσται.* ſuppl. ex antecedd. *ὅταν τό, τε ἄρχον καὶ τὼ ἀρχομένω ὁμοδοξῶσιν, ὡς δεῖν ἄρχειν τὸ λογιστικὸν, καὶ μὴ στασιάζοντων αὐτῷ κ. τ. λ.*

ſum, ſi aliis verbis expreſſeris, hoc erit: Sequere rationem ſolam, quam veriſſima tunc boni notione imbueris.

IV. Verum enimvero oritur quaeſtio, qua ratione duo iſta momenta ſummae ſimilitudinis Dei inter ſe invicem poſita eſſe Plato voluerit. Ex quibusdam enim locis prodire videtur, eam tantum ob cauſſam petendam eſſe homini puriſſimam veri atque boni notionem, ut in agendo et vita certum adhibere poſſit judicium, quo id quod vere bonum eſt ſemper eligat, neque falſa opinione in errorem adductus in injuſtam improbamque agendi rationem incidat. In Phaedro [41]) enim, ſi poëticum ornatum reciderimus, contenditur, illum, qui divinas ideas contemplari et penitus cognoscere ſtuduerit, quamvis ceteroquin vitam honeſtam egerit, non eſſe perfectiſſimum, atque ſemper periculum ſubire, ne a ſenſibus et deterioribus animae partibus abripiatur in ſcelera, quum ratio ejus nondum ſatis certum firmumque imperium occupaverit. Itaque ex his conficitur, ex ſententia Platonis, contemplationem idearum veramque notionem homini parare certum rationis imperium. Sed clarius adhuc et ſine poëtica obſcuritate eadem profatus eſt in libro de Republica [42]), nam: quisquis, inquit, ſana mente quidquam vel privatim vel publice acturus, eſt ideam boni (τὴν τοῦ ἀγατοῦ ἰδεαν) illum perſpexiſſe neceſſe eſt. — Praeterea in Phaedone [43]) dicit φρόνησιν eſſe omnium virtutum fontem; neque veram cogitari poſſe hominis virtu-

---

41) T. III. p. 256. 257.

42) T. II. L. VII. p. 517. C. καὶ ὅτι δεῖ ταύτην (τὴν τοῦ ἀγαθοῦ ἴδεαν) ἰδεῖν τὸν μέλλοντα ἐμφρόνως πράξειν, ἢ ἰδίᾳ ἢ δημοσίᾳ cf. quae ſequuntur.

43) T. I. p. 69. B. ἀλλ' ᾖ ἐκεῖνο μόνον τὸ νόμισμα ὀρθὸν, ἀντὶ οὗ δεῖ πάντα ταῦτα καταλλάττεσθαι, φρόνησις, καὶ τούτου μὲν πάντα καὶ μετὰ τούτου ὠνούμενά τε καὶ πιπρασκόμενα τῷ ὄντι ᾖ, καὶ ἀνδρεία, καὶ σωφροσύνη, καὶ συλλήβδην ἀληθὴς ἀρετὴ ᾖ μετὰ φρονήσεως.

tem, nisi ex illa profecta sit. Φρόνησις vero Platoni nihil est aliud, nisi scientia veri atque boni, et idearum cognitio. Nec alio loco opus est, quo evincamus, Platonem eam ob caussam in idearum intuitione tantum posuisse momentum, ut ne homines falsis opinionibus et judiciis adducti aut injuste aut improbe agant. Nihilo minus autem multi alii exstant loci, unde jure colligi possit, per se et propter se quoque petendas esse istas ideas, nulla habita ratione, quam vim in actiones humanas exerceant. Quae quidem sententia aperte continetur Phaedone [44]), ubi hanc ob caussam, dicit, philosopho non metuendam, immo vehementer optandam esse mortem, quas animâ ab corpore sejunctâ, id, quod per se bonum verumque sit, omni claritate nec ullis erroribus involutus cognoscere et intueri possit, cujus quidem rei verus philosophus jam in hac vita cupidissimus esse debeat. Profecto vero ita ratiocinari non potuisset, nisi ipsi idearum cognitioni per se summum adjudicasset pretium. In Phaedro [45]) praeterea profitetur, animam philosophi propterea enthusiasmo quodam (μανία) trahi ad intuitionem idearum, quoniam haec videat esse simulacra esse divini numinis, quod ante quam corpori immissa fuerit, intuita sit; nec igitur eam ob caussam ut vitam et actiones suas per illam moderetur. Denique vero ex pulcherrima quoque ista imagine, quae in Politia [46]) legitur, ubi hominis obcaecatam parumque excultam rationem comparat homini in carcere vincto ita, ut pulcherrimarum rerum umbras tantum conspiciat, nec res ipsas contemplari possit, efficitur ipsas rerum ideas, ipsamque veritatem per se pretium habere, eamque ob causam philosopho appetendas sese exhibere. Attamen in sequentibus ipse Plato istius cognitionis vim, quam exserat in actiones hominum exponit. —

---

44) T. I. p. 65 sqq.

45) T. III. p. 249 sq.

46) VII. init. p. 514 sqq.

His omnibus autem compoſitis, non temere feremus judicium hoc: Platonem idearum cognitionem expoſtulaviſſe, tum quia per ſe iſta cognitione homo divino numini ſimillimus fiat, tum quia ea deſtitutus, certam rectamque vitae rationem nunquam reperire, nec agendo Deo appropinquare poſſit.

V. Jam vero, ne temerarium de Platone feratur judicium, bene tenenda ſunt, quae de diverſa hominum indole praedicat. Non omnes, inquit, mortales ſummam praeſtantiam in hac vita adipisci poſſunt, ſed diverſa ſunt hominum ingenia, et pauca ad veram philoſophiam apta [47]). Hinc vero aliquis concluderet Platonem tale ethices ſuae principium poſuiſſe, quod, quum illud philoſophus tantum aſſequi poſſit, reliquis hominibus inutile ſit. Quod tamen injuſtum eſt judicium. Quando enim Phaedrum [48]) legerimus, et ex allegoricis narrationibus veram mentem Platonis enucleaverimus, haec fere eſt philoſophi noſtri ſententia; Animae, quae humana corpora induunt non eadem gaudent conditione. Quamquam enim nulla earum omnino integra ſit, et ea qua eſſe debet praeſtantia, ſed omnes pro lapſis daemonibus haberi poſſint, tamen depravationis gradus exiſtunt, prouti aut τὸ λογιστικόν, aut τὸ θυμικόν aut τὸ ἐπιθυμητικόν majorem vel minorem aſſequutum eſt poteſtatem. Hinc explicantur diverſi hominum impetus, quibus ad diverſa vitae genera naturaliter feruntur. Quisquis enim jam natura gaudet eximio rationis imperio, ille trahitur ad bonum verumque ipſum per ſe intuendum, et jam in hac vita ad ſummam praeſtantiam emergere poteſt. Hujus autem generis non multi in his terris reperiuntur. Reliqui vero,

---

47) Polit. VI. p. 491. A. τόδε μὲν οὖν, οἶμαι, πᾶς ἡμῖν ὁμολογήσει· τοιαύτην φύσιν, καὶ ταῦτα ἔχουσαν, ὅσα προςετάξαμεν νῦν δὴ, εἰ τελέως μέλλει φιλόσοφος γενέσθαι, ὀλιγάκις ἐν ἀνθρώποις φύεσθαι καὶ ὀλίγας.

48) T. III. p. 246. ſqq.

etiamsi non statim in hac vita summam assequi possint praestantiam et pristinam integritatem, tamen si modo rationi semper imperium suum vindicare, deoque similes esse studuerint, paullatim sequentibus generationibus summum perfectionis fastigium ascendere possunt; quod vero si minus curaverint, sensim in inferiorem gradum delabentur, et adeo bestiarum denique corpora induunt. Itaque cuique homini semper et ubique pro viribus appetenda est Dei similitudo, ut quondam summam praestantiam recuperet, quam adeptus cum Diis in aeternum versabitur. Quandoquidem vero Plato ostendit, qua in re summa Dei similitudo posita sit, simul viam, qua ad illam proficiscendum sit, demonstravit. Injuste igitur adversus Platonem agit, nec omnino eum intellexit, si quis contendat solis philosophis illum ethicam scripsisse, et expostulasse, quod plurimorum vires excedat. Tollitur enim illud judicium; quandoquidem philosophos noster reditus animarum post mortem in humana corpora statuit 49).

VI. Jam hoc modo summo platonicae ethices principio exposito, satisque, credo, probata, vix quaeri poterit, an Plato revera Philosophiae moralis systema habuerit. Vidimus enim Platonem revera summum agendi principium homini proposuisse, illudque non esse praeceptum quoddam praecipuum, sed eodem sensu, quo nostrae aetatis philosophi (si unum Kant exceperis) suis moralis philosophiae systematibus principia imponere solent. Vidimus praeterea, omnia, quae Plato in ethica sua praecipiat, ad illud summum principium recurrere, atque optime reduci posse, etiamsi ipse hoc non ubique fecerit. Vidimus denique tantam tam singulorum praeceptorum internam, quam to-

49) Haec omnia singulis locis probari nequeunt, sed progrediuntur ex illa oratione Socratis de amore habita, quam in Phaedro l. c. legimus, secunda.

tius philoſophiae moralis cum metaphyſicica cohaerentiam, ut vix unum locum ignorare non poſſis, ne reliqua omnia tibi obscura et vix intelligenda maneant. Quibus ſi addamus, quae ſupra de forma Platonicae philoſnphiae monuimus, philoſophum noſtrum ſyſtema, quamvis forma ubique non expreſſum, habuiſſe, eosque, qui illud negant, veram totius philoſophiae vim parum perſpexiſſe, dubium amplius eſſe nequit.

§. 10.

Reliquum eſt, ut jam principio ethices Platonicae expoſito videamus, numquid tale in ethica Chriſtiana occurrat, et comparationem inſtituamus.

I. Neque Chriſtum neque Apoſtolos in animo habuiſſe, ethices aut ſyſtema tradere aut ſummum principium exhibere, quum ſupra jam dictum eſt, tum ita notum et ab omnibus probatum, ut argumentis non amplius opus ſit. Quamvis igitur difficile ſit factu, ex praeceptis moralibus N. T., ſaepe obscuris nec ſatis certis limitibus circumſcriptis, quae diſperſa et a reliquis abrupta jaceant, et modo tempora locosque ſpectent, modo ſibi invicem contraria eſſe videantur, componere ſyſtema omnibus partibus cohaerens, et uni ſummo principio ſubjectum, tamen hoc fieri non ſolum poteſt, ſed etiam ſaepe factum eſt. Etenim una eademque vis ineſt omnibus iſtis praeceptis, et ad unum ſummum finem ſpectant omnia, ad ſummam praeſtantiam moralem, quae quidem nulla alia eſt, niſi Dei ſimilitudo, quantumvis illam viribus humanis aſſequi posſis. Hoc enim negari nequit, ſi quis omnia ethices chriſtianae praecepta contulerit, et in unum conjunxerit, ſummam praeſtantiam moralem, Deique ſimilitudinem unum idemque eſſe, hominemque eodem gradu Deo appropinquare, quo praeſtantior factus ſit. Itaque fieri poteſt, ut in illa ipſa ſententia atque doctrina ſummum principium ethices chriſtianae poſitum ſit, id quod revera nonnulli

theologorum nostrorum putaverunt: quae tamen sententia utrum rata sit necne, pallo infra in ipsa comparatione videbimus.

II. Plurimi eorum, qui de egregia Platonicae atque Christianae ethices similitudine loquuntur, summum fere ponunt momentum in ea re, quod in utraque, summa hominis praestantia moralis ponatur in similitudine cum Deo. Neque hoc mirum quemquam habere potest, quum revera nulla alia aut ante Platonem, aut post eum, philosophorum schola sententiam istam expresserit. Sed si paullo altius istam tantam similitudinem investigaverimus, mirari illam desinentes, eas potius admirabimur de Deo sublimes notiones, quibus amice Christus et Plato conspiraverint. Quandoquidem enim Plato summum numen non tantum omnipotens, mundum regens, sapientissimum et omnium rerum gaudens scientia posuit, sed summa quoque morali praestantia praeditum ita, ut ipsum bonum et cujusvis boni in his terris exemplar primaque caussa fuerit, vix aliter fieri potuit, quam ut summam hominis praestantiam in summi istius boni, quod ipsum Deus esset, similitudine poneret. Quisquis igitur melior fiet et praestantior, illum Deo appropinquantem dici, positis illis, necesse est. Eadem autem res est in Christiana doctrina, ubi itidem Deus tanquam numen quaque re praestantissimum, omnisque boni in his terris, ipsiusque legis moralis, quae regnet in hominibus caussa et auctor, repraesentatur. Ponenda igitur est similitudo quae inter utramque ethicam intercedit, in illo ipso religioso principio, secundum quod utriusque auctor, Deum atque summum bonum unum idemque fecit.

III. Quamvis vero illa tanta sit similitudo, minor tamen evadit ea, quam primo obtutu in sententia inde profluente, affectandam esse cuique homini Dei similitudinem, offendimus, simulac penitus sententiam ipsam exploraverimus.

1. Similitudo Dei Christianae ethices principium non eodem sensu est ac Platonicae. Quodvis enim summum prin-

cipium morale ita debet eſſe comparatum, ut ſimul cauſſam moventem in ſe habeat incluſam. Haec autem cauſſa Platonis ſummo principio ſimul eſt incluſa, Chriſtianae legi, qua jubemur Deo ſimiles fieri, non ita. Platoni enim latet cauſſa iſta ſimul in natura veri ac boni. Quisquis, inquit, ſummam boni ideam cognoverit et intuitus fuerit, ille non poteſt, quin illam omni ſtudio appetat, reliquis omnibus relictis [50]. Quamvis autem ipſe ſummum Deum faciat auctorem et exemplar, illius boni ideae, non tamen illa appetenda eſt et cognoscenda, quia Deus juſſerit, ſed ſui ipſius cauſſa [51]. Bonum enim nihil eſt ea de cauſſa, quod Deus illud voluit eſſe bonum, ſed ipſe Deus bonus eſt, quoniam ideam boni in ſe habet [52]. Boni enim idea, ut reliquae ideae ſunt ſempiternae, nec ab ipſo Deo mutari poſſunt [53]. Bonum habet ſummam quandam pul-

---

50) Polit. VII. p. 514 ſqq. Per totam pulcherrimam illam imaginem hominis in carcere vincti, cui primum umbras tantum pulcherrimarum rerum, et deinde res ipſas conſpicere licuerit, aperte docetur, ipſis ideis injunctam eſſe ſummam et praeſtantiam et pulchritudinem. Quam ſi quis cognoverit ſponte illo trahatur. cf. Phileb. T. II. p. 20. D. Sympos T. III. p. 211.

51) Eutyphr. T. I. p. 10. 11. ἆρα τὸ ὅσιον, ὅτι ὅσιόν ἐστι φιλεῖται ὑπὸ τῶν θεῶν· ἢ ὅτι φιλεῖται, ὅσιόν ἐστι; p. 20. ὅτι ὁμολογοῦμεν τὸ μὲν ὅσιον διὰ τοῦτο φιλεῖσθαι, ὅτι ὅσιόν ἐστιν· ἀλλ' οὐ διότι φιλεῖται, ὅσιον εἶναι.

52) Phaedr. T. III. p. 247. D. ipſe Deus dicitur intueri τὸ ὄντως ὄν, ſ. ipſas ideas aeternas. ἅτ' οὖν θεοῦ διάνοια νῷ τε καὶ ἐπιστήμῃ ἀκηράτῳ στρεφομένη, καὶ ἁπάσης ψυχῆς, ὅσον ἂν μέλλῃ τὸ προσῆκον δέξεσθαι, ἰδοῦσα διὰ χρόνου τὸ ὂν, ἀγαπᾷ τε καὶ θεωροῦσα τἀληθῆ τρέφεται, καὶ εὐπαθεῖ, ἕως ἂν κύκλῳ κ. τ. λ. In Timaeo T. III. p. 29 30. Deus dicitur univerſo mundo informaſſe ideas, quarum intuitione ipſe gaudeat, quia utpote bonus nulla invidia tangatur. Itaque illae ideae non eo bonae ſunt, quod a Deo proficiſcantur, ſed per ſe et propter ſe bonae habentur.

53) Aeternitas et immutabilis ratio idearum ſaepe docetur in Timaeo, Theaeteto, Philebo, Politia, Phaedro. cet.

chritudinem [54]), arctiſſime cum eo conjunctam, quam non inde accepit, quod Deus illud bonum eſſe voluerit. Itaque ſi quis boni ideam vidit, ſimul ad illam trahitur, non quia intellexit, hanc ideam a Deo ſibi inſitam eſſe, ſed quia perſpexit illam pulcherrimam eſſe ſua ipſius natura. Quamquam igitur ſolus vere bonus Dei benevolentia gaudeat (nam ſimilis placet [55]), tamen homo non ideo erit bonus, ut Deum gratum ſibi reddat, ſed quia cognovit ideam boni eſſe per ſe et propter ſe ipſam pulcherrimam. — Jam vero vix opus eſt, ut ab iſtis ethicam chriſtianam aliquantum discedere probemus. Secundum illam enim omne bonum eſt quod cum Dei voluntate conſentit, et eam ſolam ob cauſſam, quod cum illa conſentit. Deus auctor eſt legis moralis, quae viget in nobis, et ideo huic obediendum eſt, quoniam Deus ipſe ejus auctor eſt. Quamvis igitur minime negetur, bonum quodvis per ſe pretium habere, tamen illud ideo faciendum eſt, quia Deus juſſit. Itaque ſumma cauſſa quae hominem ad virtutem impellere debeat, non poſita eſt in ipſa illa lege τῆς ὁμοιώσεως τῷ θεῷ, ſed extrinſecus adfertur ex voluntate Dei qui eſt et pater et creator noſtrûm omnium [56]). Hinc virtus eſt obſeqium Deo prae-

---

54) Ubique Platonem τὸ καλὸν κἀγαθὸν junxiſſe, notiſſimum eſt. Phileb. T. I. p. 64. E. καταπέφυγεν ἡμᾶς ἡ τἀγαθοῦ δύναμις εἰς τὴν τοῦ καλοῦ φύσιν· μετριότης γὰρ καὶ ξυμμετρία, κάλλος δήπου καὶ ἀρετὴ πανταχοῦ ξυμβαίνει γίγνεσθαι. Potiſſimum in Sympoſio Plato profitetur, ethicam ideam ſummam eſſe pulchritudinem, nec quicquam pulchrum eſſe, quod illius particeps ſit. p. 201 A. B. 205. A. 211. A. B.

55) Polit. L. I. p. 352. καὶ θεοῖς ἄρα ἐχθρὸς ἔσται ὁ ἄδικος, ὁ δὲ δίκαιος φίλος. — Legg. L. IV. p. 716. C. D. καὶ κατὰ τοῦτον δὴ τὸν λόγον, ὁ μὲν σώφρων ἡμῶν, θεῷ φίλος (ὅμοιος γάρ)· ὁ δὲ μὴ σώφρων, ἀνόμοιός τε καὶ διάφορος, καὶ ἄδικος.

56) Vide inter innumeros locos. Matth. VII, 21. XII, 50. Eph. VI, 6. 1 Theſſ. IV, 3. V, 18. 1 Joh. II, 17. Rom. XII, 2.

ſtitum, et officium; quae quidem notio in Platonis ethica prorſus evanuit. Plato enim naturam boni extulit ſupra voluntatem Dei, Chriſtus vero illam huic ſubjicit.

2. Praeterea vero alterum quam maximum diſcrimen hoc eſt, quod Platonis ὁμοίωσις τῷ θεῷ longe plura complectatur, quam lex iſta chriſtiana, quae Deo ſimillem fieri hominem jubet. Neque enim Chriſtus neque Apoſtoli hac lege aliud quidqam intellexerunt, niſi animi eruditionem virtutisque perfectionem, qua quidem omnis moralis hominis praeſtantia conficitur. In fine iſtius orationis, quam Chriſtus de monte ad populum Judaeum habuiſſe traditur ab Evangeliſta, poſteaquam plurima eaque pulcherrima atque graviſſima dedit vitae praecepta, omnia illa complectitur hac ſententia [57]): ἔσεσθε οὖν ὑμεῖς τέλειοι, ὥςπερ ὁ πατὴρ ὑμῶν ἐν τοῖς οὐρανοῖς τέλειός ἐστι. Patet igitur illam perfectionem atque ſimilitudinem pertinere tantum ad animi morumque emendationem. Eodem autem modo Apoſtoli pluribus in locis ſingulas virtutes, amorem, miſericordiam aliasque commendant tanquam aemulationem divini exemplaris [58]). Sed nullibi aliquod cernitur veſtigium, unde colligi poſſit, in cognitione veri ac boni in quaque re, Chriſtianam quoque ethicam poſuiſſe ſimilitudinem Dei. Quamquam negari nequit cognitionem illam ad virtutem ſummam neceſſariam eſſe, et quum ipſa religio Chriſtiana ſummam exigat virtutem, ſimul iſtam expoſtulari, tamen nullo loco N. T. dictum eſt, cognitionem veri i. e. ingenii et judicii culturam eam ob cauſſam appetendam eſſe, ut hac ipſa re Deo ſimiles fiamus. E contrario autem Plato idearum intuitionem, quae eadem eſt illa ſumma rationis et judicii perfectio, non ſolum a praeſtantiſſimo quoque expoſtulat, ſed in ea ipſa ſummum τῆς ὁμοιώσεως

57) Matth. V, 48.

58) Luc. VI, 35 ſq. 1 Petr. I, 16 ſq. III, 13. Eph. V, 1 ſq. IV, 31 ſq. 1 Joh. IV, 7. 8.

τῷ θεῷ momentum ponit, nec ſolum, uti vidimus, ideo, ut quod neglecta illa nulla vera virtus cogitari poſſit, ſed quod ideae illae per ſe et propter ſe potiſſimum intuendae ac appetendae ſint. Qua quidem in re ſi verum ſpectemus, laudandus eſt chriſtianae ethices auctor; nam Deo ea tantum appropinquare poſſumus ratione, quatenus auctor eſt legis moralis uobis inſitae, bonique verae notiones acquirendae ſunt homini, non ut in his Deo ſimilis fiat, ſed ut ad veram virtutem eniti queat. Nihilominus autem reliquam ingenii et judicii culturam chriſtiana ethica minime vetat, ſed vehementer efflagitat, non tamen eam ad ſimilitudinem cum Deo reducit, ſed ad legem divinam, qua juſſus eſt homo, ut quod ſibi mandatum ſit, illud quantum poſſit, colat et uſu adhibeat. Non enim omnibus eadem atque paria ſunt concredita [59]). Itaque Plato hominis univerſam praeſtantiam, Chriſtiana autem doctrina moralem tantum conditionem ad ſimilitudinem Dei refert.

3. Denique vero reſtat in his discrimen, quod omnium ſummi momenti eſt. Quamvis enim Plato omnibus hominibus viam monſtraverit ad ſummam praeſtantiam aſſequendam, eaque quemque hominem iucedere juſſerit, tamen ſimul omnibus eundem poſuit finem, quem priusquam homo adeptus ſit, ſummae atque aeternae felicitatis compos eſſe nequeat. Jam vero ipſe illum finem ab ullo poſſe attingi negat, niſi naturaliter ea ſit animi conditione qua ad divinarum idearum perſpicientiam ducatur, quod tamen paucis hominibus, ſoliſque philoſophis contigerit. Quum igitur pauci tantum homines jam in hac vita ſummum illum finem praeſtantiae aſſequi poſſint, reliquis omnibus pluribus opus eſt vitis in hac terra degendis, priusquam ad eam quam omnes ſperamus vitam felicitatemque aeternam pervenire poſſint. Ex hac igitur doctrina, quisquis ſibi conscius eſt,

59) Matth, XXV, 14-30.

ſe philoſophum ex mente Platonis nondum eſſe factum, quamvis ceteroquin probiſſimus homo, ille aeternam felicitatem poſt mortem ſperare nequit, ſed timeat neceſſe eſt, ne anima ſua rurſus corpori humano immiſſa, moleſtam vitam agere cogatur. Quam longe vero ab his diſtant, quae Chriſtiana religio praecipit! Praeſtantiſſimus enim eſt, inquit, quisquis iis, quae a Deo acceperit optime uſus, ſummum ſtudium in aſſequenda virtute adhibuerit. Dum igitur Platonis ſummum principium homini, ut ita dicam, objectivam praeſtantiam aſſequendam praecipit, Chriſtiana religio ſumma ſtudia humana in ſubjectiva praeſtantia ponit [60]). Quicunque vero hanc ſubjectivam praeſtantiam aſſequuti fuerint, id quod a nemine fieri non poteſt, illi eodem jure omnes aeternam poſt mortem felicitatem exſpectare poſſunt.

§. 10.

IV. Jam his omnibus expoſitis, ſimilitudinem iſtam, quae primo oblutu inter Platonicam et Chriſtianam ὁμοίωσιν τῷ Θεῷ locum habere videtur, tantam habere definemus, quanta plerumque hucusque facta eſt. Omnis enim ſimilitudo manet in eo, quod Plato et Chriſtus easdem fere Dei ſanctiſſimi et optimi notiones habuerunt. Hinc autem neceſſario modo efficitur, ut ſi quis opinari auſus ſit, Chri-

---

60) Etiamſi haec uno loco probari nequeant, tamen ſi totam doctrinae chriſtianae vim perſpexeris, ſatis in propatulo poſita eſſe cernes. Etenim nullo in loco aut Chriſtus aut Apoſtoli quandam praeſtantiam objectivam homini ſectandam proponunt, ſed illum praedicant beatum, qui animi ſinceritate et integritate gaudeat. Matth. V, 8. Non opus eſt alta doctrina et eruditione ad moralem praeſtantiam adſequendam. Matth. V, 3. Itaque omnes homines naturaliter ſunt ita comparati, ut moralem praeſtantiam ſibi comparare poſſint. Optimus eſt, quisquis ea quae divinitus ipſi ſunt concredita optime adhibuit Luc. XIX, 12 ſq. cui multa ſunt concredita, ab illo multa exigentur. Luc. XII, 48.

ftum, quum Platonis fummum principium morale noverit, illud in fuam ethicam inde transtulifle, fimul contendat, Chriftum fuas de Deo notiones puriores accepifle. Sed quis unquam talia profari audebit!

CAPUT II.

INQUIRITUR IN VIRTUTIS TAM PLATONICAE QUAM CHRISTIANAE NATURAM.

---

§. 12.

I. Univerfam hominis virtutem five rectam agendi rationem Plato voce *δικαιοσύνη* [61]) complexus eft. Pofita eft haecce *δικαιοσύνη* in jufta ratione et harmonia fingularum animae partium. Tres enim, uti vidimus, ex fententia Platonis, funt animae partes, *τὸ λογιστικόν*, *τὸ θυμικόν* et *τό ἐπιθυμητικόν*. Quorum quidem primum complectitur rationem, five eam partem animae, quam homo

---

61) *τῇ δικαιοσύνῃ* Plato modo latiorem modo ftrictiorem fenfum adjungit. Ex conftanti tamen ufu hujus vocis in Politia, ea intelligitur hominis ratio, qua cuique parti illius fuum agendum tribuitur. Polit. IV. T. II. p. 433. A. *ὅτι τὸ τὰ αὑτοῦ πράττειν, καὶ μὴ πολυπραγμονεῖν, δικαιοσύνη ἐστί.* ibid. p. 441. D. *μνημονευτέον ἄρα ἡμῖν ὅτι καὶ ἡμῶν ἕκαστος, ὅταν τὰ αὑτοῦ ἐν αὑτῷ πράττῃ, δίκαιός τε ἔσαι καὶ τὰ αὑτοῦ πράττων.* — ib. p. 443. C. D. *τὸ δέ γε ἀληθὲς, τοιοῦτον μὲν τι ἦν, — ἡ δικαιοσύνη, ἀλλ' οὐ περὶ τὴν ἔξω πρᾶξιν τῶν αὑτοῦ, ἀλλὰ περὶ τὴν ἐντὸς ὡς ἀληθῶς, περὶ ἑαυτὸν καὶ τὰ ἑαυτοῦ, μὴ ἐάσαντα τὰ ἀλλότρια πράττειν ἕκασον ἐν αὑτῷ, μηδὲ πολυπραγμονεῖν πρὸς ἄλληλα τὰ ἐν τῇ ψυχῇ γένη· ἀλλὰ τῷ ὄντι τὰ οἰκεῖα εὖ θέμενον, καὶ ἄρξαντα αὐτὸν αὑτοῦ — καὶ ξυναρμόσαντα τρία ὄντα, ὥσπερ ὅρους τρεῖς ἁρμονίας, κ. τ. λ.*

cum Deo communem habet, cui insunt veri bonique ideae, et quae sola cogitare atque de rebus judicium ferre potest. Alterum vero, τὸ θυμικόν quod interdum etiam audit τὸ θυμοειδὲς τὸ φιλονεῖκον, nihil aliud fuisse videtur Platoni, nisi fortis hominis voluntas, sive impetus agendi, cujus quidem caussam potissimam ponit modo in honoris studio, modo in animi concitatione (ὀργή), et ardore [62]. Tertium denique τὸ ἐπιθομητικόν amplectitur libidines omnes et appetitum, cujus stimuli potissimum corpori insunt [63]. Jam vero justa horum omnium ratio haec est, ut τὸ λογιστικόν, utpote quod et divinam imaginem referat, et veri solum compos est, hominemque a bestiis distinguit [64], summum semper teneat locum, nec a reliquorum ullo aut subjugetur aut prohibeatur, τὸ θυμικόν vero isti praesto adsit, nec sine illo agat quidquam [65], τὸ ἐπιθυμητικόν denique prorsus τῷ λογιστικῷ subjectum sit, seque ab eo contineri patiatur. Quo autem in homine haec ratio valet, ille recte justus h. e. virtute praeditus vocatur. Tunc adest vera animae harmonia, et οἰκειοπραγία, ubi quodvis in suo loco suum agit, nec quod alius est sibi vindicat

62) v. descriptionem hujus partis animae Polit. IV. p. 439. E. -- 441 B.

63) Amplam de his tribus animae partibus disquisitionem v. Polit. IV. p. 436. C. - 441 B. cf. Phaedr. T. III. p. 242. B - 246.

64) v. ll. cc. notis 36. 37. 38.

65) Polit, IV. p. 441. E. οὐκοῦν τῷ μὲν λογιστικῷ ἄρχειν προςήκει, σοφῷ ὄντι, καὶ ἔχοντι τὴν ὑπὲρ ἁπάσης τῆς ψυχῆς προμήθειαν; τῷ δὲ θυμοειδεῖ ὑπηκόῳ εἶναι, καὶ ξυμμάχῳ τούτου; — πανύγε. — καὶ τούτω δὴ — προστήσετον το ἐπιθυμητικὸν, ὃ δὴ πλεῖστον τῆς ψυχῆς ἐν ἑκάστῳ ἐστὶ, καὶ χρημάτων φύσει ἀπληστότατον· ὃ τηρήσετον, μὴ τῷ πιμπλᾶσθαι τῶν περὶ τὸ σῶμα καλουμένων ἡδονῶν. πολὺ καὶ ἰσχυρὸν γιγνόμενον, οὐ τὰ αὐτοῦ πράττῃ, ἀλλὰ καταδουλώσασθαι καὶ ἄρχειν ἐπιχειρήσῃ ὧν οὐ προςῆκον αὐτῷ γε ἦν, καὶ ξύμπαντα τὸν βίον πάντων ἀνατρέψῃ.

agendum [66]). Haec vero necessaria est conditio omnis virtutis; nec esse potest aut **Prudentia**, aut **Fortitudo** aut **Temperantia** sine illa **justitia**.

II. **Prudentia** (σοφία, φρόνησις, νοῦς) est plena rationis libertas in agendo, sive summum rationis imperium in omnes reliquas hominis partes. Itaque illa nullo modo existere potest, si aut ira aut libidines super rationem excreverint. In ratione vero posita est scientia bonorum atque malorum, et eorum quae aut facienda sint aut fugienda. Prudentia igitur est libera cognitio et scientia boni atque mali, quae minime impeditur vel corrumpitur aut sensuum aut libidinum impetu aut ira aut honoris studio [67]. **Fortitudo** autem vera est ea, quae illam de rebus formidandis sentiendi rationem, quam ratio praescripsit, nunquam aut dolore aut voluptate aut cupiditatibus aut timore mutari et objici patiatur [68]). Jamque haec in τῷ θυμοειδεῖ posita est, itaque illud altiorem quam τὸ ἐπιθυμητικόν locum accupet, nec se vinci ab illo patiatur necesse est. Rationi tamen obediat, ut quae sola ipsi suppeditat τὴν ὀρθὴν δόξαν περὶ τῶν δείνων. Immo rationi praesto adsit in dominandis cupiditatibus. **Temperantia** denique (σωφροσύνη) posita est in vero concentu libidinum cum ratione, ita ut illas prorsus et semper sequantur rationem. Quare

---

66) Polit. IV. p. 434. B. C. Hinc justitia comparatur cum sanitate, ἀδικία cum morbo corporis. p. 444. C. D. E.

67) Polit. IV. p. 442. C. σοφὸν δὲ (ἕνα ἕκαστον καλοῦμεν) ἐκείνῳ τῷ σμικρῷ μέρει τῷ ὃ ἦρχέ τ' ἐν αὐτῷ, καὶ ταῦτα παρήγγελεν· ἔχον αὖ κἀκεῖνο ἐπιστήμην τὴν τοῦ ξυμφέροντος ἑκάστῳ τε καὶ ὅλῳ τῷ κοινῷ σφῶν αὐτῶν τριῶν ὄντων. cf. de Legg. n. q. l. Φρόνησις, ἐπιστήμη ἀγαθῶν καὶ κακῶν — διάθεσις, καθ' ἣν κρίνομεν τί πρακτέον καὶ τί οὐ πρακτέον.

68) ἀνδρεῖον δὴ, οἶμαι, τούτῳ τῷ μέρει καλοῦμεν ἕνα ἕκαστον, ὅταν αὐτοῦ τὸ θυμοειδὲς διασώξῃ διά τε λυπῶν καὶ ἡδονῶν τὸ ὑπὸ τοῦ λόγου παραγγελθὲν δεινόν τε καὶ μή. Polit. IV. p. 442. B. C.

τὸ ἐπιθυμητικόν undique ſubjiciendum τῷ λογιστικῷ [69]). Itaque quantum ad rationem attinet, hanc Plato nullis omnino vinculis incluſit, ſed ubique illi obtemperari jubet, ſive vetet ſive concedat voluptatem et commodum; ira vero atque honoris ſtudium eatenus coercenda ſunt, quatenus rationi repugnant, neque tamen prorſus opprimenda, ut quae maxime interdum rationem juvent. Libidines denique omnes prohibendae quominus rationis imperium adſequantur, non vero prorſus relegandae et opprimendae. Sunt enim quaedam modicae et neceſſariae cupiditates, eaeque minime rationi contrariae, ſed juſtae ac licitae [70]). Quantum igitur Platonis ethica abeſt ab Epicureismo reliquisque voluptatis ſyſtematibus, in tantum diſcedit a rigida et humanae naturae contraria, Stoicorum aliorumque doctrina.

III. At vero uti ex juſta illa ratione animae omnes fluunt virtutes [71]), ita perverſa illa et corrupta omnia oriuntur et vitia et ſcelera [72]). — Proximus viro juſto eſt

---

69) Τί δὲ; σώφρονα οὐ τῇ φιλίᾳ καὶ ξυμφωνίᾳ τῇ αὐτῶν τούτων; ὅταν τό τε ἄρχον καὶ του ἀρχομένω ὁμοδοξῶσιν, ὡς δεῖν ἄρχειν τὸ λογιστικὸν, καὶ μὴ στασιάζωσιν αὐτῷ; ἀλλὰ μὲν δὴ δίκαιός γε ὡς πολλάκις λέγομεν, τοῦτο καὶ οὕτως ἔσται; — πολλὴ ἀνάγκη. ib. p. 442. C. D.

70) Polit. IV. p. 431. C — 432 A. VIII. p. 558 E. — 559 A. οὐκοῦν, ἅς τε οὐκ ἂν οἷόστ' εἶμεν ἀποτρέψαι δικαίως ἀναγκαῖαι καλοῖντο, καὶ ὅσαι ἀποτελούμεναι· ὠφελοῦσιν ἡμᾶς; τούτων γὰρ ἀμφοτέρων ἐφίεσθαι ἡμῶν τῇ φύσει ἀνάγκη, ἢ οὔ; — καὶ μάλα. Δικαίως δὴ τοῦτο ἐπ' αὐταῖς ἐροῦμεν τὸ ἀναγκαῖον. — Δικαίως. — Τί δέ; ἅς γέ τις ἀπαλλάξειεν ἂν, εἰ μελετώη ἐκ νέου, καὶ πρὸς οὐδὲν ἀγαθὸν ἐνοῦσαι δρῶσιν, αἳ δὲ καὶ τοὐναντίον πᾶσαι πάντας, εἰ μὴ ἀναγκαίους φαῖμεν εἶναι, ἆρ' οὐ καλῶς ἂν λέγοιμεν; — καλῶς μὲν οὖν.

71) Polit. IV. p. 441. E. — 442. B.

72) Perverſam atque corruptam animae hnmanae rotionem ſ. ἀδικίαν Plato vocat πολυπραγμοσύνην vel ἀλλοτριοπραγμοσύνην, ubi quaevis pars non ſua, ſed aliena agit.

ille, qui non rationi, ſed τῷ θυμοειδεῖ τε καὶ φιλονεικῷ ſummum concedit imperium, eoque ipſo φιλότιμος evadit. Quamvis enim pluribus virtutibus hic ſimilis eſt juſto homini, quum ſit fortis et temperans, tamen ut qui unice honoris ſtudio trahitur, ad multa facinora abripitur, nec vera gaudet Prudentia. Rudior et agreſtior erit adverſus ſervos, erga principes obediens maxime, ſed principatus honorumque avidior, neque tam humanarum disciplinarum quam rerum bellicarum ſtudioſus [73]). — Illo tamen pejor eſt et deterior ille, qui pecuniam maximi facit et ob avaritiam neceſſarias tantum libidines explet, ceteris vero ſumtibus nequaquam indulget. Avaritia autem iſta multarum injuriarum eſt cauſſa. Neque vero talis homo libidines quasdam cohibet, rationi obtemperans, ſed cupiditates in tali ſunt cupiditatum dominatrices, meliores detriorum. Quamobrem modeſtior quidem erit multis aliis, ſed conſentiendis et compoſitae mentis virtus longe hunc effugiet [74]). Tertio gradu discedit ab homine juſto, qui non melioribus cupiditatibus deteriores coërcet, ſed adeo nullum prorſus inter neceſſarias atque licitas et inter non neceſſarias easque illicitas libidines discrimen facit. Talis homo in diem vivit, et incidentibus praeſentibusque cupiditatibus ſemper obſequitur. Omni recta opinione eſt deſtitutus, neque vitia dignoscit [75]). Peſſimus denique omnium is eſt, qui non ſolum neceſſariarum et non neceſſariarum libidinum discrimen non facit, ſed utique peſſimis illis atque turpiſſimis devictus, iisque meliores cupiditates opprimit [76]). Quisquis rationi ſummum in omnibus imperium non conceſſerit, illa paullatim ad iſtum infimum humanitatis locum delabendi periculum ſubit, itaque ſemper et ubique id agendum eſt homini, ut ne ratio ſummo loco pellatur.

---

73) Polit. VIII. p. 548. E — 550. B.
74) ib. p. 554 - 555. B.
75) ib. p. 559 - 562.
76) Polit. IX. p. 771 - 577.

IV. Quodſi omnia, quae hucusque de virtute Platonica ſunt disputata, computemus, arcta iſtarum ſingularum virtutum neceſſitudo et ratio manifeſta eſt. Nemo enim poteſt eſſe prudens (σοφός, φρόνιμος) qui non ſimul ſit fortis et temperans; Prudentia enim poſita eſt in imperio rationis, temperantia autem eſt cupiditatum obſequium rationi praeſtitum, et fortitudo σωτηρία τῆς ὀρθῆς δόξας περὶ τῶν δεινῶν. Nemo praeterea fortis, niſi qui ſimul ſit σοφός et σώφρων, alias enim aut falſam ſequeretur opinionem περὶ τῶν δεινῶν, aut fortitudinem cupiditatibus vinci pateretur. Nemo denique temperans niſi prudens et fortis; ſola enim vera temperantia ea eſt, quae libidines non libidinibus, ſed ratione coërcet, ad coërcendas autem libidines fortitudine vera opus eſt. Itaque egregie Plato unam tantum eſſe virtutem expreſſit eo ipſo, quod hanc in juſtitia poſuit. Simulac enim juſta animae ratio ceciderit, omnis virtus hominis evanescet. Pendet tamen haec univerſa virtus a rationis juſto imperio ſ. a prudentia, quum haec ſola et ardori animi et libidinibus legitimos fines describere poſſit.

V. Percurrimus hactenus eam virtutem, quam Plato a quolibet homine attingi poſſe minime negat. Haud quaquam vero, ex ſententia ipſius, illâ juſtitiâ quam hactenus expoſuimus omnis humana praeſtantia eſt conſummata. Licet enim aliquis rationi in omnibus ſummum tribuat imperium, et eatenus prudens (σοφός, φρόνιμος) appellandus ſit, quatenus rectam opinionem (τὴν ὀρθὴν δόξαν) qua aut educatione aut legibus imbuta eſt ratio [77]) ubique ſervet nec ſibi eripi aut timore aut cupiditatibus patiatur, tamen nondum firmum fundamentum virtutis ipſius adeſt, niſi accedat idearum perſpicientia, et boni ipſius ſcientia [78]).

77) Polit. IV. p. 429. C. D. 430. A. B.

78) Menon. T. II. p. 97. B. δόξα ἄρα ἀληθὴς, πρὸς ὀρθότητα πράξεως οὐδὲν χείρων ἡγεμὼν φρονήσεως· καὶ τοῦτό ἐστιν ὃ νῦν δὴ παρελείπομεν ἐν τῇ περὶ τῆς ἀρετῆς σκέψει, ὁποῖόν τι εἴη, λέγοντες· ὅτι φρόνησις

Itaque necesse est, ut praestantissimus quisque hanc appetat scientiam eamque veram **Sapientiam** (φρόνησιν) [79]) qua ipsa **philosophus** evadit [80]). Sapientiam autem illam acquirit homo dum rebus incertis et mutationi obnoxiis minime inhaerens, ipsum bonum contemplatur, quod constans sibi et aeternum est, itaque vitam aget contemplativam magis quam activam [81]). In hunc autem praestantiae gradum quemvis hominem emergere posse, praefracte negatur [82]). Ut igitur vulgarium hominum virtus posita est in studio justam animae rationem procurandi et tuendi, ita philoso-

---

μόνον ἡγεῖται τοῦ ὀρθῶς πράττειν. cf. ib. E. 98. A. *καὶ γὰρ αἱ δόξαι αἱ ἀληθεῖς, ὅσον μὲν ἂν χρόνον παραμένωσι, καλὸν τὸ χρῆμα, καὶ πάντα τἀγαθὰ ἐργάζονται· πολὺν δὲ χρόνον οὐκ ἐθέλουσι παραμένειν, ἀλλὰ δραπετεύουσιν ἐκ τῆς ψυχῆς τοῦ ἀνθρώπου, ὥστε οὐ πολλοῦ ἄξιαι εἰσὶν, ἕως ἄν τις αὐτὰς δήσῃ αἰτίας λογισμῷ. — ἐπειδὰν δὲ δεθῶσι, πρῶτον μὲν ἐπιστῆμαι γίγνονται, ἔπειτα μόνιμοι.*

79) Vocibus *φρόνησις* et *σοφία* Plato non certam et definitam subdidit notionem, sed quum aliis vocabulis destitutus fuerit, duplicem illis dedit potestatem. Modo enim intelligit nihil aliud, nisi **liberum imperium rationis**, qualis haec est in quolibet homine, imbuta **recta quadam opinione**; modo vero, liberum imperium **rationis**, quae obtinuit perfectam boni et mali **scientiam**, itaque veram **Sapientiam** Hoc bene tenendum ne inexplicabilibus systematis platonici nodis impediamur. — Quamvis autem Plato in Politia voce *δικαιοσύνη* non solum justam animae partium rationem inter se invicem, sed etiam perfectissimam uniuscujusque earum rationem et conditionem intellexerit, quum summum vellet constituere et civitatis et hominis exemplar: tamen priorem potissimum tenuit notionem; qua ipsa Sapientia (nedum Prudentia) s. praestantissima rationis conditio esset exclusa. Hoc probatur loco Theaeteti p. 176. *ὁμοίωσις δὲ μετὰ φρονήσεως δίκαιον καὶ ὅσιον γενέσθαι*, et pluribus aliis locis.

80) Vide Philosophi descriptionem Polit. VI. p. 485. C. D. — 490.

81) Haec fuse disputata sunt in Phaedone. v. ll. cc. nota 34.

82) v. ll. cc. nota 48.

phus, quem perfectam istam justitiam jam possidere oportet, virtutem ostendit in explorando et contemplando ipso bono et pulchro.

§. 13.

I. Haud quaquam negari potest, multa eorum, quae de virtute Platonica hucusque monuimus amice conspirare cum vi atque natura Christianae virtutis, ejusque fere speciem referre. Singula autem huc fere redeunt:

1. Pluribus in locis N. T. vox δικαιοσύνη eandem ac in Platonicis libris habere videtur potestatem ita, ut omnis hominis virtus illâ denotetur, et ea qua cuique homini opus est praestantia moralis [83]), quamvis rursus aliis in locis arctiore potestate sit circumscripta.

2. Etiamsi Christianae ethices autores non tria ponant principia, quibus homo in diversas agendi partes trahatur, sed duo tantum, videlicet (τὸ πνεῦμα) [84]) rationem, atque sensus libidinesque corporis (τὴν σαρκά): tamen haec fere in unum redeunt, si respexerimus ad vim quam in actiones hominum exserant [85]). Non enim Christiana ethica negat, adesse quosdam animi affectus, iram, honoris studium, et universum animi ardorem. Quatenus tamen ista omnia rationi repugnant, hactenus illa voce σάρξ complectitur. Σάρξ enim est quicquid in natura hominis rationi

---

83) Matth. V, 6. διψῶντες τὴν δικαιοσύνην, ib. X, 20. ἐὰν μὴ περισσεύσῃ δικαιοσύνη ὑμῶν. ib. VI, 33. καὶ τὴν δικαιοσύνην αὐτοῦ. Act. XIII, 10. Rom. VI, 18. 19. 20. VIII, 10. XIV, 17. Eph. V, 9. VI, 14. Rom. I, 17. ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται.

84) Quae sit τοῦ πνεύματος cum vi Spiritus Sancti cohaerentia non est quod hic curemus. Certum est, τὸ πνεῦμα (ex hebraico רוּחַ) complecti rationalem hominis partem.

85) Minime hujus loci est exponere psychologiam Christianam, quae minime est philosophica, sed vulgaribus hominibus accommodata.

(τῷ πνεύματι) adverſatur [86]). Quandoquidem igitur Chriſtus et Apoſtoli jubent, rationem in omnibus eſſe ſequendum, eique τὴν σαρκά ſubjiciendam [87]), prorſus his continetur Platonis ſententia, et ardorem omnemque animi impetum, et libidines eatenus eſſe coërcenda atque reprimenda, quatenus rationis imperio reluctentur [88]). Ponitur igitur virtus itidem in victoria, quam ratio de libidinibus atque affectibus reportaverit [89]), et in vero eorum omnium concentu. Vetat ethica chriſtiana ne impetus et ardor animi ſuper rationem excreſcat, eamque opprimere conetur, jubet tamen ut illa ipſe ardor juvet rationem in opprimendis libidinibus, ipſique praeſto adſit in quavis re agenda [90]). Vetat praeterea, ne homo libidinibus ſe duci patiatur [91]), ſed jubet ſimul ut illas, quas ratio cenſeat eſſe licitas atque neceſſarias, expleat cupiditates [92]). Quod igitur materiam virtutis (uti dicunt) ſpectat, nihil eſt in ethica Pla-

---

86) Gal. V, 19 ſqq. φανερὰ δέ ἐστι τὰ ἔργα τῆς σαρκός, ἅτινά ἐστι μοιχεία — ἔχθραι ἔρεις, ζῆλοι, θύμοι κ. τ. λ. cf. Col. III, 5-10. Jac. I, 19 ſq.

87) 1 Petr. II, 11. ἀπέχεσθαι τῶν σαρκικῶν ἐπιθυμιῶν, αἵτινες στρατεύονται κατὰ ψυχῆς. Rom. VIII, 1. οὐδὲν κατάκριμα τοῖς — μὴ κατὰ σαρκὰ περιπατοῦσιν, ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα· cf. v. 4. 6. τὸ γὰρ φρόνημα τῆς σαρκός θάνατος, τὸ δὲ φρόνημα τοῦ πνεύματος ζωὴ καὶ εἰρήνη. v. 8. οἱ δὲ ἐν σαρκὶ ὄντες Θεῷ ἀρέσαι οὐ δύνανται. v. 15. Gal. V, 16 ſqq. VI, 8.

88) 1 Joh. II, 13. 14. ἔγραψα ὑμῖν οἱ νεανίσκοι ὅτι ἰσχυροὶ ἔσεσθε — καὶ νενικήκατε τὸν πονηρόν. V, 3. Matth. XVIII, 8. Luc. XIII, 24. VI, 32-36.

89) 1 Cor. IX, 24 ſq.

90) Rom. XII, 11. τῷ πνεύματι ζέοντες, τῇ σπουδῇ μὴ ὀκνηροί. 1 Cor. XVI, 13. στήκετε ἐν τῇ πίστει, ἀνδρίζεσθε, κραταιοῦσθε. Eph. IV, 26. ὀργίζεσθε καὶ μὴ ἁμαρτάνετε.

91) Gal. V, 24. 1 Theſſ. V, 16. Jac. V, 13.

92) Col. II, 16-23. Rom. XII, 15.

tonica, quod praeceptis atque naturae ethicae Chriftianae non fit confentaneum.

3. Sin formam virtutis fpectemus hactenus Plato et Chriftus egregie confentiunt, quod ullam veram virtutem cogitari poffe negant, quae non ex animo profecta fit, nec ullum vere bonum quod non ea de cauffa fit factum, quod ratio jufferit. Quamvis enim plures hominum actiones bonae effe videatur, quia fecundum legem funt factae, tamen non omnes illae revera bonae funt. Multa enim homo egregie agit, variasque exercet virtutes vel ea de cauffa quod ignominiam civiumque despectum veretur, vel ut gloriam inde fibi paret. Libidines non neceffarias neque licitas alius coërcet, quoniam avaritiae infervit, itaque una cupiditas alterius imperium tenet [93]. Honefte probeque agit tertius quidam, quod inde in tempus commodum fibi redundaturum fperat. Alius denique uti quoquo tempore lubet, modo perperam agit, modo legitima patrat facinora, nullam cauffam fequutus, nifi eam quod ipfi pro tempore ita placuerit. Illos omnes vituperat Plato, neque veram iis tribuit virtutem (δικαιοσύνην), quoniam non rationi, fed aut animi ardori aut cupiditatibus fummum tribuerint imperium. Quod enim bonum effe cognovit homo, illud faciendum eft, nulla alius cujusdam rei habita ratione, fed fui ipfius cauffa. Alias non virtus exoritur, fed illa timoris pro timore, cupiditatis pro cupiditate mercatura [94]. Idem vero fimul Chriftus et Apoftoli praecipiunt, quum ubique

93) Polit. IV, p. 555. C. D. οὔκουν δῆλον ἤδη ἐν πόλει, ὅτι πλοῦτον τιμᾷν καὶ σωφροσύνην ἅμα ἱκανῶς κτᾶσθαι ἐν τοῖς πολίταις, ἀδύνατον, ἀλλ' ἀνάγκη, ἢ τοῦ ἑτέρου ἀμελεῖν, ἢ τοῦ ἑτέρου. cf. Luc. XVI, 13. οὐδεὶς οἰκέτης δύναται δυσὶ κυρίοις δουλεύειν· ἢ γὰρ τὸν ἕνα μισήσει, καὶ τὸν ἕτερον ἀγαπήσει. — οὐ δύνασθε Θεῷ δουλεύειν καὶ μαμμωνᾷ.

94) Phaed. T. I, p. 69. B. v. l. c. nota 44.

exigant finceritatem animi [95]), virtutemque non externis ritibus fervandis, et quae lex poftulet exfequendis oftendi jubeant, fed animi puritate [96]). Purus enim atque fincerus eft animus, qui nulla laborat menda, nec ullo ducitur, in agendo aut utilitatis aut gloriae et oftentationis ftudio [97]), fed qui honeftum bonumque appetit et profequitur folam eam ob cauffam, quod Deus id ipfum jufferit. Quisquis enim Dei voluntati obtemperat, rationem fequatur, neceffe eft, qua fola praecepta divina homini funt patefacta.

4. Virtus ex fententia utriusque ethices ita debet effe comparata, ut nunquam aut temporibus aut rationibus aut vi qualibet poffit labefactari et obrui. Etiamfi ad mortem usque crucietur, omnibusque rebus privetur vir juftus et vere virtuti incumbens, tamen hanc nunquam fibi eripi patietur, fed forti animo adeo violentam obibit mortem. Haec Plato egregie expreffit in illuftri loco Politiae fuae [98]), eademque in N. T. faepe repetuntur [99]).

5. Neque Plato neque Chriftus voluit, unquam in hac vita virtutem effe omnibus numeris abfolutam, fed femper hominem in altius eniti, magisque in dies praeftantiffimo numini appropinquare uterque juffit. Duabus enim rationibus perpetua perfectione eget virtus humana. Primum, quod inferiores hominis partes, libidines atque animi impetus nunquam ceffant, fed perpetuo rationi reluctantur, cavendum eft homini quovis tempore, ne jufta ratio, rationisque imperium tollatur. Hoc Plato expreffit in Phaedro [100]),

---

95) Matth. V, 8. *μακάριοι οἱ καθαροὶ τῇ καρδίᾳ.*

96) Matth. XV, 1-23. Luc. XI, 37 fqq. Matth. XXIII, 5-7. Joh. IV, 21-24. Rom. XIII, 5.

97) 1 Petr. V, 2. Matth. V, 46-48. 1 Cor. IX, 17.

98) P. 361. B. *τὸν δίκαιον παρὰ τὸν ἄδικον ἱστῶμεν τῷ λόγῳ, ἄνδρα ἁπλοῦν καὶ γενναῖον κ. τ. λ.*

99) Matth. XII, 33-87. Rom. VI, 12-14. VIII, 34. 1 Theff. V, 23. 1 Cor. VI, 20. X, 31. 2 Cor. VI, 4 fqq. Col. III, 17.

100) T. III. p. 242 B. C.

ubi rationem aurigae ferocissimos equos regenti comparat. Idem vero et in N. T. saepe repetitur [1]). Itaque virtus in majorem semper firmitatem et habilitatem quandam emergere potest. Deinde vero virtus semper perficienda est, quoniam in hac vita unquam absolutissima boni ipsius notio acquiri nequit, quod quidem Plato in Phaedone et in Politia corporis cum anima consuetudine tribuit ita, ut corpus animae carcerem appellaverit [2]). Apostoli autem et Christus saepe monent Christianos, ut quam possint optimam voluntatis, divinae cognitionem sibi parare non desinant [3]). Praeterea vero ista virtutis ratio, qua perpetua perfectione eget, expressa est in utriusque ethices quam comparamus postulatione ea, ut homo quantum possit Deo simillimus fieri studeat.

6. Denique in N. T. pari modo docetur singularum virtutum tanta cohaerentia, ut si quis unam neglexerit, universae legis culpam mereatur [4]), et si quis vera virtutis vi imbutus sit, simul omnes singulas virtutes exerceat [5]).

---

1) 1 Petr. II, 11. I, 15. 2 Tim. IV, 7. τὸν ἀγῶνα τὸν καλόν ἠγώνισμαι. Hebr. XII, 1. δι' ὑπομονῆς τρέχωμεν τὸν προκείμενον ὑμῖν ἀγῶνα. Phil. III, 12. οὐκ ὅτι ἤδη ἔλαβον (τὸ βραβεῖον) διώκω δὲ εἰ καὶ καταλάβω cf. 1 Cor. IX, 24. 1 Joh. I, 8.

2) Phaed. p. 66. Polit. VII. p. 514 sqq.

3) Col. I, 9. ἵνα πληρωθῆτε τὴν ἐπίγνωσιν τοῦ θελήματος αὐτοῦ ἐν πάσῃ σοφίᾳ καὶ συνέσει πνευματικῇ. v. 11. 28. c. III, 10. Phil. I, 6. 9. 10. Marc. X, 18.

4) Jac. II, 10. ὅστις γὰρ ὅλον τὸν νόμον τηρήσει, πταίσει δὲ ἐν ἑνὶ, γέγονε πάντων ἔνοχος. cf. Matth. V, 19. Hic locus haud dubie ita intelligendus, ut si quis contra unam legem moralem peccet, eo ipso reliquarum quoque legum moralium, quarum unus idemque Deus auctor est, contemptum prodit, et mentem vera in Deum pietate destitutam.

5) 1 Cor. XIII. ubi vox ἀγάπη omnem hominis virtutem complectitur. v. quae infra sequuntur. Similis sensus inest loco Matth. VI, 22 sq. ὁ λύχνος τοῦ σώματός ἐστιν ὁ ὀφθαλμός — εἰ οὖν τὸ φῶς τὸ

Una igitur eſt virtus, quae totum hominum omnesque ejus vires complectatur, earumque juſtam expoſtulet rationem. Haec eadem, uti ſupra vidimus, Platonis eſt ſententia.

II. Verum tamen, quamvis haec tot tantaque ſint, in quibus de virtutis natura Plato et Chriſtus amice conſpirant, mirum eſt quantum inter utrumque intercedat discrimen. Quo cognito, quando divinum vocaverimus Platonem, Deum nuncupabimus Chriſtum.

1. Quamquam Plato admodum puram conſtituit virtutis humanae rationem, remota omni oſtentatione ac ſpecioſa ratione, repulſo omni proprii commodi atque praeſentis voluptatis ſtudio, abjecta denique omni ſervili erga leges publicas obedientia, tamen nullam fere in illa cordis habuit rationem. Omnis enim virtus poſita eſt in juſta quadam hominis ratione, omniaque hominis officia nonniſi eam obcauſſam ſunt perficienda, quod ratio juſſerit. Quamvis autem inde omnia egregie facta profluant, manet tamen illa ethica frigidior et animum hominis quodammodo inanem relinquit. Jam vero cernitur ethicae Chriſtianae praeſtantia, quae omnes hominum actiones ex amore tum Dei tum proximi prodire jubeat, ipſamque hominis virtutem in amore ponat [6]). Haec eſt illa egregie ſervatoris noſtri doctrina, quod homines omnes ſeſe fratres, Deumque unius familiae benignum et amantiſſimum patrem habere juſſit [7]). Qua quidem nihil magis egregium,

---

ἐν σοὶ σκότος ἐστὶ, τὸ σκότος πόσον; ubi *φῶς* idem eſſe videtur, quod paullo ante *καρδία*, deſiderium, et inclinatio hominis. "Si quis deſiderium ſuum in res vanas direxit, omnis animus, omnisque virtus obumbratur et obcaecatur. cf. 1 Cor. V, 6.

6) Hoc ita notum, ut vix locis probantibus opus ſit, v. potiſſimum 1 Joh. III, 23. coll. c. V, 2. 3. IV. c. III, 10. *ὁ μὴ ποιῶν δικαιοσύνην — ὁ μὴ ἀγαπῶν τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ*. pro ſynonymis habentur. 1 Cor. XIII.

7) 1 Joh. III, 11. V, 2. Matth. V, 45. 48. Luc. XI, 2. 2 Cor. VI, 18. Rom. VIII, 15. Gal. IV, 6.

nihil homine dignius, nihil denique animos hominum magis juvans atque erigens cogitari potest. Ut enim rationalis, ut ita dicam, ethica, quae istius amoris vi est destituta, probum hominum justumque reddere potest, ita rationali agendi principio addita vis illa amoris, per totum interni hominis habitum singularem quendam et peculiarem effundit vigorem, et veram istam sanctitatem (ἁγιωσύνην) quae cum verbis exprimi nequeat, sensu interno percipienda est. — Minime vero amore illo tollitur principium, quo sola ratio in agendo audienda est, immo juvatur atque alitur. Quisquis enim vero Dei et proximi amore imbutus est, ille neque aut commodi, aut gloriae aut voluptatis caussa, neque invitus bonus erit et honestus, sed laeto et prompto animo bonum et honestum quodvis exsequetur sui ipsius gratia, certissime, ratus, sese tali virtute sibi benevolentiam unice esse paraturum. Hinc si cardinales quasdam ethicae Christianae adjudicare velimus virtutes, merito illas in amore Dei ac proximi ponemus. Ut igitur optimus quisque secundum Platonis ethicam optimam necesse est habeat perspicientiam boni, summaque gaudeat justitia, ita secundum praecepta Christi optimus is est, qui maxime Dei et proximi imbutus est amore. Quamvis autem vel Plato interdum Deum benevolum patrem bonorum hominum esse dicat [8]), tamen nullibi amori hominum erga Deum egregiam tribuit vim in actiones atque virtutem hominum, et licet saepe civium omnium concordiam atque amorem commendet, tamen ipsi amor ille nunquam est movens actiones principium, sed uti reliquae virtutes societati humanae praestandae, justitiae suae subjectus. Etiam amor ille (ἔρως), de quo in Symposio et in Phaedro sermo est, prorsus alienus est a nostra amoris notione [9]).

---

8) De Legg. B. X.

9) Oppositus est hicce amor amori Venereo. Quum enim Graecis amori (ἔρως) semper injuncta sit notio gignendi, Plato hanc ip-

2. Praeterea virtus Chriſtiana a Platonica differt eo, quod illi ſimul injuncta eſt arctiſſime notio fidei. Non quidem hic agitur de fide hiſtorica atque poſitiva illa, quae hoc loco in comparationem venire nequit, ſed de ea fide, qua nobis perſuaſum eſt tum licitum eſſe aliquid, vel illicitum, tum Deum omnium actionum humanarum eſſe et legislatorem et ſummum judicem. Si quis enim revera aliquid patraverit, quod per ſe licitum ſit, dubitans tamen an ſit illicitum, per Deum, ille perperam egit, nec quidquam, etiamſi per ſe bonum ſit, virtutis nomen meretur, niſi injuncta eſt iſti certiſſima perſuaſio, Deum illud ipſum juſſiſſe, atque de quolibet a nobis facto olim judicium eſſe laturum [10]). Tribuitur autem iſti perſuaſioni, ſi modo juſta

ſam notionem ad excitationem et procreationem divinarum idearum, quarum quaſi ſemina in quovis meliori animo latent, applicavit. Itaque amor platonicus nihil aliud eſt, quam ſtudium, quo egregiae animae (ſchöne Seelen) conjunguntur, ad ideas illas ethicas in ſe dormientes, excitandas et in vita repraeſentandas. Sympoſ. p. 206. A. ἔστιν ἄρα ξυλλήβδην ὁ ἔρως τοῦ τὸ ἀγαθὸν αὐτῷ εἶναι ἀεί.

10) Rom. XIV, 22. 23. coll. Tit. I, 15. Ebr. XI, 6. Idem Paullus in toto capite IV. epiſtolae ad Romanos ſatis ſubtili disquiſitione probare ſtudet. Nimirum dicit, Abrahamum Dei gratiam impetraſſe non quod leges ſequutus ſit, v. c. quod ſuceperit circumciſionem, ſed ideo, quod veram habuerit fidem in Deum h. e. quod vitam egerit, quam ſibi perſuaſiſſimum erat, Deo fore gratam. Hoc inde probare ſtudet Ap. quod illi promiſſiones divinae de ampla progenie contigerint, priusquam fuerit circumciſus, et legem quandam poſitivam ſequutus fuerit. His omnibus Ap. nihil aliud voluit efficere, niſi hoc: minime ſufficere, legem ſervari, etiamſi illa divina ſit, niſi accedat ea certiſſima perſuaſio, obſequio legi praeſtito nos nobis conciliaturos eſſe gratiam Divinam, neque legis obſervationem, ſed fidem cum illa conjunctam nobis mereri Dei benevolentiam. Haec autem ſane veriſſima ſunt, nec ſolum ad Chriſtianos iſtius temporis ſpectant, ſed ad univerſum genus humanum. Profecto vero falſi ſunt, qui, ut plurimum fit, fidem Abrahami ponant in eo animo, quo divinitus ſibi promiſſa acceperit, h. e. in fiducia de Deo.

ſit, vis virtutem quotidie efficiendi. Quodſi et amor ille erga Deum et haec fides ſimul virtuti Chriſtianae inhaereat, eamque moveat neceſſe eſt, efficitur, omnem virtutem humanam ſimul eſſe debere pietatem erga Deum. Hinc autem vis ſingularis et peculiaris formae Chriſtianae virtutis accreſcit. Plato enim juſtitiae ſuae minime notionem pietatis addit, ſed rationi, ait, eſt obtemperandum, quatenus illi ſummum debetur imperium, ut quae hominem a beſtia diſtinguit. Quamquam vero virtute hominem Deo appropinquare et boni notionem, quam Deus animis indiderit agendo exſequi contendat, tamen nullum his ineſt Chriſtianae piatatis veſtigium, et δίκαιος eſſe poteſt ex mente Platonis, qui minime de ſummo numine cogitaverit. Quod autem attinet ad ὁσιότητα et εὐσέβειαν, illam quidem Plato non ſolum ponit in ſacrificiis offerendis, ritibusque religioſis ſervandis, ſed in interna etiam mentis et animi ratione [11]), qua Deus ſit adorandus, minime vero illi tantum vim concedit, quantum Chriſtus, ut univerſae hominis virtuti juſtam praebeat formam ac rationem. Immo juſtae hominis rationi (δικαιοσύνῃ) ſubjungit pietatem (ὁσιότητα) [12]), Deo praeſtandam, veluti quaelibet reliqua officia alterius erga alterum, civium erga principes, liberorum erga parentes. Neque potuit eſſe omnis virtus Platonica pietas in

---

11) Cf. Euthyphron. T. I. p. 2-16. ubi totum argumentum hoc tractatur. coll. Gorg. p. 507. B. Epinom. p. 989. A. B. μεῖζον μὲν γὰρ ἀρετῆς μηδεὶς ἡμᾶς ποτὲ πείθῃ τῆς ἐυσεβείας εἶναι τῷ θνητῷ γένει.

12) Quamvis Plato contendat, τὸν δίκαιον eſſe ſimul ὅσιον, tamen hoc nec ipſe probavit, nec apte elici poteſt ex notione ipſius juſtitiae, quae poſita eſt in οἰκειοπραγίᾳ omnium animae partium. Hoc fortaſſe ipſe ſenſit, quum aliis in locis, ubi ſummam hominis praeſentiam definivit, juſtitiam (δικαιοσύνην) et pietatem (ὁσιότητα) ſejunxerit. v. Theaet. p. 176. ὁμοίωσις δὲ δίκαιον καὶ ὅσιον μετὰ φρονήσεως γενέσθαι.

Deum eo ſenſu, quo Chriſtus hanc cum illa conjunxit, quum Plato (id quod ſupra vidimus) ſummam actiones hominum moventem cauſſam non in voluntate dinina, ſed in ipſius boni natura poſuerit. Virtus enim eo ipſo fit pietas, quando conjuncta eſt cum iſta conſcientia obſequii voluntati dininae praeſtiti, eaque potiſſimum hominem ad bene agendum movet.

3. Tertio loco ethicae Chriſtianae proprium hoc eſt, quod urget in virtute ſubmiſſi in Deum animi notionem. Jubet enim, ne nimium meriti in virtute homo ſibi ſuisque viribus tribuat, ſed ut Dei gratiae plurimam accenſeat partem, quod ipſi poteſtatem dederit et tentationibus reſiſtendi, et bonum quolibet efficiendi [13]). Vetat praeterea ne ullum divinum beneficium poſtulet, tanquam remunerationem virtutis ſuae, quum licet optimus ſit, nunquam plus quam debuerit, facere queat [14]). Haec tamen animi ſubmiſſio (ταπεινοφροσύνη) non ejusmodi eſt, ut ſingularem quandam efficiat virtutem, ſed cuivis et univerſae virtuti adjuncta eſſe debet, ne cum ſuperbia et elatione animi ſimul omnis virtutis laus intereat. Hinc optimus quisque unnquam ſibi vindicabit prae reliquis hominibus praeſtantiam, ſemper animo perpendens, vel ſe haudquaquam eſſe omnibus numeris abſolutum [15]). Quibus ſi, quae Platonis

---

13) Rom. XII, 3. 1 Cor. XII, 6 ſqq. *ὁ δὲ αὐτός ἐστι Θεὸς, ὁ ἐνεργῶν τὰ πάντα ἐν πᾶσιν* cf. Phil. II, 13. Eph. IV, 7. 1 Cor. IV, 7. *τίς γάρ σε διακρίνει; τί δὲ ἔχεις ὃ οὐκ ἔλαβες; εἰ δὲ καὶ ἔλαβες, τί καυχᾶσαι ὡς μὴ λαβών;*

14) Luc. XVII, 10. *οὕτω καὶ ὑμεῖς, ὅταν ποιήσητε πάντα τὰ διαταχθέντα ὑμῖν, λέγετέ· ὅτι δοῦλοι ἀχρεῖοί ἐςμεν· ὅτι ὃ ὠφείλομεν ποιῆσαι, πεποιήκαμεν.*

15) Phil. II, 3. *ἀλλὰ τῇ ταπεινοφροσύνῃ ἀλλήλους ἡγούμενοι ὑπερέχοντας ἑαυτων.* 1 Petr. V, 5. *τὴν ταπεινοφροσύνην ἐγκομβώσασθε.* Matth. XX, 28. Huic tamen animi ſubmiſſioni minime repugnat ſenſus internae dignitatis.

ethica continentur, e regione poſuerimus, prorſus contrariam ſententiam inveniemus. Quamvis enim negari nequeat, vel illum interdum ita loquutum eſſe, ut conſtantem virtutem ac probitatem ſingulari Deo auxilio tribuere videatur [16]), tamen ipſe illud tam extra ordinem rerum fieri nec in omnibus hominibus, contendit, quam nusquam inde ſubmiſſi animi virtutem derivat. Immo philoſophum dicit omnes res humanas eſſe aspernaturum, quippe qui nullibi *τὸ ὄντως ὄν*, ſed ubique umbras idearum conſpiciat, omnibusque rebus agendis, niſi ſummum imperium ſibi contigerit, ſeſe ſubtracturum eſſe [17]). Quibus etiamſi quis Platonem nihil aliud denotare voluiſſe contendat, niſi internae dignitatis ſenſum, tamen huic non injuncta eſt notio Chriſtianae *ταπεινοφροσύνης*, quae eadem minime illi ſenſui contraria eſt. Inde factum eſt, ut ethica Chriſtiana prae reliquis omnibus virtuti univerſae ſimul indiderit vim clementiae, modeſtiae omnisque humanitatis [18]).

4. Plerumque fit, ut quando de ethica Platonica atque Chriſtiana feratur judicium, egregiam ponant ſimilitudinem in ea re, quod utriusque ethices auctores mentem juſſerint quotidie in Deum intendi. Ubi tamen ſi verum ſpectemus, omnis ſimilitudo relinquitur fere in verbis. Quum enim Platoni Deus et bonum (*τό καλὸν κἀγαθόν*) unum idemque ſit, iſta mentis intentio nihil aliud

---

16) Polit. VI. p. 492. A. *ἐὰν μή τις αὐτῇ βοηθήσας Θεῶν τύχῃ* E. *θεῖον μέντοι (ἦθος) κατὰ τὴν παροιμίαν ἐξαίρω λόγον· εὐ γὰρ χρὴ εἰδέναι, ὅ, τι περ ἂν σωθῇ τε καὶ γένηται οἷον δεῖ, ἐν τοιαύτῃ καταστάσει πολιτειῶν, θεοῦ μοῖραν αὐτὸ σῶσαι, λέγων, οὐ κακῶς ἐρεῖς.*

17) Quae Plato monet de facili et cicuri ingenio philoſophi, ne ſit *δυςξύμβολος, δυςκοινώνητος, ἄγριος*, ea pertinent ad communitatem ſocietatemque vitae. Polit. VI, p. 486. B.

18) Jac. III, 13-17. 1 Petr. III, 15.

ſignificat, niſi perpetuam meditationem de eo, quod in quaque re ſit vere bonum propter ſe ipſum [19]). Itaque intentio mentis in Deum, ex mente Platonis, eſt philoſophica inquiſitio in vim atque naturam boni et pulchri, a rebus in ſenſus cadentibus abſtrahens notiones generales, cui quidem momentum religioſum additur eo, quod Deus idearum ſ. notionum illarum auctor eſt, ſummumque exemplar. Itaque jubet Plato, ut praeſtantiſſimus quisque et mentem quantum poſſit a vi corporis liberet, ſeque ipſum penitus cognoscere ſtudeat [20]), et externarum rerum non ſpecies, ſed internam naturam contempletur [21]). Minime vero neceſſe eſt, ut homo ad Deum h. e. ipſum bonum contemplandum ſocietatem humanam fugiat; immo nemo magis inter homines verſari debet quam philoſophus, ut in ipſis animis hominum excitet divinas ideas et quodam-

---

19) Polit. VI. p. 500. B. C. οὐδὲ γάρ που — σχολὴ τῷ γε ὡς ἀληθῶς πρὸς τοῖς οὖσι τὴν διάνοιαν ἔχοντι, κάτω βλέπειν εἰς ἀνθρώπων, πραγματείας, καὶ μαχόμενον αὐτοις φθόνου τε καὶ δυςμενείας ἐμπίμπλασθαι· ἀλλ' εἰς τεταγμένα ἄττα καὶ κατὰ ταὐτὰ ἀεὶ ἔχοντα ὁρῶντας καὶ θεωμένους, οὔτ' ἀδικοῦντα οὔτ' ἀδικούμενα ὑπ' ἀλλήλων, κόσμῳ δὲ πάντα καὶ κατὰ λόγον ἔχοντα, ταῦτα μιμεῖσθαί τε καὶ ὅτι μάλιστα ἀφομοιοῦσθαι. — Θείῳ δὴ καὶ κοσμίῳ ὅγε φιλόσφος ὁμιλῶν, κόσμιος τε καὶ θεῖος εἰς τὸ δυνατὸν ἀνθρώπῳ γίγνεται. ib. VII. p. 517. B. ἐν τῷ γνωστῷ τελευταία ἡ τοῦ ἀγαθοῦ ἰδεα — αὕτη κυρία ἀλήθειαν καὶ νοῦν παρασχομένη· καὶ ὅτι δεῖ ταύτην ἰδεῖν τὸν μέλλοντα ἐμφρόνως πράξειν.

20) Pluribus locis hoc Plato expoſtulat, Charmid, T. II. p. 614. D. E. Phileb. T. II. p. 48. C. Phaedr. T. III. p. 229. E. 230 A.

21) Si quis Phaedonem ſatis diligenter legerit, intelliget Platonem, ubi jubet animam αὐτὴν καθ' αὐτήν eſſe, nihil aliud voluiſſe, niſi ut anima neque ſenſibus decipiatur, neque ulla alia externa ſpecie impediatur, quo minus veras indagare poſſit. Haudquaquam de vita ſolitaria, quam philoſophus debeat appetere ſermo eſt.

modo concumbat cum illis [22]. Hac enim ipſa in re cernitur mens in Deum intenta, ut quod in quaque re externa ſit divinum, cognoscere ſtudeat. Philoſophus igitur, ex ſententia Platonis, fortaſſe tum maxime in Deum eſt intentus, ubi maxime hominum conſuetudine gaudet. Jam vero ab hac ſententia ethica Chriſtiana aliquantum differt. Quoties enim de animi in Deum intentione ſermo eſt, toties intelligitur Deus Optimus Maximus, coeleſtis pater atque creator univerſi mundi, qui tamen terrenis rebus minime incluſus extra mundum vivit, ad quem preces votaque fundimus, ſummus judex omnium actionum humanarum. Ad illum non ſolum mens atque ratio, ſed univerſus animus eſt dirigendus ita, ut conſuetudine cum Deo et cognitio et voluntas hominis quotidie purior fiat et ſanctior. Hinc neceſſe eſt, ut homo interdum ad animum colligendum loca ſolitaria petat, de Deo ejusque voluntate cogitet, preces fundat et ſumma animi devotione et adoratione imbuatur [23]. Ut igitur ex mente Platonis, intentionis in Deum ſola mens atque ratio particeps eſt, ita ethica Chriſtiana totam internam hominis naturam atque indolem in Deum intendi jubet, nec in Deum tanquam idearum auctorem et poſſeſſorem, ſed in Deum benignum ſanctiſſimumque patrem generis humani.

5. Ex omnibus quae jam de virtute Chriſtiana ſunt disputata, nunc intelligitur, non eandem eſſe δικαιοσύνην Platonicam et Chriſtianam, quamvis huic voci utrimque univerſae virtutis humanae notio adjungatur. Plato enim revera retinuit notionem juſtitiae, quae cuique ſuum tribuitur, eamque adhibuit ad juſtam rationem animae. In

---

22) v. ll. cc. nota 37.

23) Haec non ita ſingulis locis probantur, quam ipſo exemplo Chriſti, qui pluries ad animum colligendum et in Deum flectendum loca ſolitaria petiiſſe narratur, quamvis per totam vitam nunquam de Deo non cogitaverit. Matth. IV, 1-11. XVII. XXVI, 36 ſqq. c. VI, 6.

novo autem testamento illa notio prorsus evanuit, et δίκαιος dicitur qui talis est, qualis esse debet, integer et purus, ex hebraico צַדִּיק. Quamvis igitur ad unam eandemque potestatem illius vocis et Plato et Novi Testamenti auctores convenerint, tamen diversa via profecti sunt.

§. 14.

Ex proposito nobis consilio liceat rursus in fine hujus capitis quaedam monere de ratione, qua tanta in doctrina de virtute utriusque ethices similitudo oriri potuerit, ne nimis temere in illam sententiam abripiamur, ut aut Christum aut Apostolos ex Platonicis principiis quaedam in suam doctrinam transtulisse arbitremur. Certe indigitabimus quae in tali judicio bene tenenda sint atque consideranda.

1. Quod quidem attinet ad vocem δικαιοσύνην, qua et Plato et Christus summam humanae virtutis complexi sunt, vidimus quam diversa utriusque sit ratio.

2. Quod vero uterque loquitur, de certamine rationis et libidinum, hoc ita in re atque natura positum est, ut nullus adhuc homo, qui de rebus ethicis cogitaverit, illud certamen revera adesse negaverit. Discrimen potius in eo positum est, in utrius victoria virtutem quaesierint. Libidinibus autem victoriam nunquam accensuit orientalis quisquam, sed jam in V. T. purissimae de illa re notiones sunt expressae. Melioris indolis ponamus hominem quemque, et sponte ille rationi victoriam de libidinibus concedet. Praeterea hoc idem cogitur ex sana de Deo notione.

3. De virtute voluntaria nec suum commodum suamque voluptatem ubique spectante legem non ferre non potuit, qui ad tantum proximi et Dei amorem, quantum nullus unquam philosophus cogitavit, animum et ingenium sponte potuerit attollere. Itaque vel in hac notione de Platonicae et Christianae ethices externa quadam conjunctione cogitare prorsus superfluum est.

4. Quoad constantiam virtuti vel in summis calamitatibus praestandam, nemo profecto audebit contendere, Christum ipsum Platonicis principiis adductum esse, ut ipse pro veritate et virtute crudelissimam mortem subierit. Quae vero Apostoli de illa constantia praecipiunt, ad ea exemplo praeceptoris sui illos esse potissimum adductos, quis est, qui neget?

5. Ad perfectibilem virtutis rationem et Plato et Christus duci debebant posita illa sententia, homines virtute Deo similes fieri. Quodsi in illa sententia externa conjunctio non est, eandem nec in hac accipere cogimur.

6. Quamvis uterque doceat arctissimam omnium virtutum cohaerentiam, tamen diversa via profecti sunt. Plato enim pervenit ad illam sententiam sua ratione justitiae, Christus vero posita una lege morali, cujus totius contemptum ostendit, qui unum praeceptum transgressus sit.

7. In utriusque ethices sententia de vita contemplativa magis admiranda est discrepantia quam similitudo.

8. Si quis ex conspiratione singulorum locorum Novi Testamenti cum dictis platonicis aliquid in hac re concludere velit, ille plura concedere coactus erit, quam ipse fortasse cupiat. Cogeretur enim, aut Christo aut Apostolis non solum principia sed libros etiam Platonis innotuisse. Neque vero singuli loci in tanta re quidquam possunt probare, quum simillima in pluribus libris, minime a se invicem pendentibus reperiantur.

9. Denique, si poneremus Platonis principia inter Judaeos satis nota fuisse, qui factum esset, ut illud summum totius virtutis Platonicae principium de anima tripartita non innotuerit, cujus nullum usquam reperimus in N. T. vestigium?

Caput III.

DISQUIRITUR DE VIRTUTIS AD FELICITATEM RATIONE, QUALIS ILLA IN PLATONICA ATQUE CHRISTIANA ETHICA EST CONSTITUTA.

§. 15.

Quamquam Plato in vera virtute eaque juſtitia ſua ſummum vidiſſet humanae vitae finem, quem appetere humanae naturae conſentaneum eſſet, tamen minime non cognovit, cuique homini ineſſe etiam felicitatis appetitum, quem nemo unquam poſſit exſtinguere [24]. Itaque ſiquidem virtus univerſo homini ſatisfacere debet, cum ea ſimul felicitas ſumma conjuncta ſit neceſſe eſt. Sin minus, nemo unquam illam appeteret [25]. Videndum igitur eſt, utrum juſtitia illa veram felicitatem praebeat, necne.

1. Virtus per ſe ſuaque naturam praebet felicitatem, quum poſita ſit in juſta ſingularum animae partium ratione (οἰκειοπραγία) et harmonia. Itaque ea ſola eſt animae ſanitas bonusque habitus (εὐεξία) [26]; contra vero, ſimulac iſta ratio ſublata eſt, oritur animae morbus atque imbecillitas [27]. Atqui ſanitas perpetuum praebet ſenſum jucundum ex bona conſtitutione noſtra manantem. Rationis enim imperio ubique ſervato oritur beans illa conſcientia animi, in quo ordo ubique regnat [28], qui ſibi conſo-

24) Euthydem. T. I. p. 282. A. *εὐδαίμονες μὲν εἶναι προθυμούμεθα πάντες.* cf. Legg. V. p. 732. E. 733. A-D. Phileb. T. II. p. 21. D. - 22 B. (cf. Morgenſternii de Republica comm. II. p. 115.) coll. p 60. E. ſq.

25) Phileb. l. c.

26) Polit. IV. p. 444. E. Gorg. T. I. p. 526. D.

27) Polit. l. c.

28) Gorg. p. 482. A.-C. 504 B. 506. D. E. 507. A. ſq.

nat [29]), qui ſe ipſo acquiescit [30]), ſcatet pacis placidiſſimae, tranquillitatis aequabiliſſimae atque adeo laetitiae puriſſimae homini in ſe ipſo fons perennis, pellucidus et pulcherrimus [31]). Praeterea vero quaevis animae pars habet voluptatem ſibi propriam, quarum quidem rationalis partis voluptas omnes reliquas longe ſuperat, ſive ἐμπειρίᾳ, ſive φρονήσει et λόγῳ dijudicentur [32]). Immo nullius niſi ſapientis voluptas vera eſt et ſincera, reliquae omnes adumbratae, inanes, et ſimul dolore mixtae [33]). Quisquis igitur φρόνιμος et φιλόσοφος non eſt, ille ſummam voluptatem ne delibare quidem, poteſt. Denique ſolus δίκαιος vera gaudet libertate, quum in illo id quod ſolum aptum eſt et idoneum imperando (τὸ λογιστικόν) imperio fruatur, nec reliquorum tyrannide prematur, reliquae vero partes animae minime prohibeantur, quominus quae ſibi facienda ſint, faciant [34]). Tum enim ratio haud cogitur, ut quae ipſa nolit, fieri patiatur, ſed homo in homine ſuper beſtiam imperium tenet. — Etiamſi igitur experientia edocti, ſaepe videremus, nullam fere virtutem habere externam merce-

29) De Legg. III. p. 689. D. πῶς γὰρ ἂν, ὦ φίλοι, ἄνευ ξυμφωνίας γένοιτ' ἂν φρονήσεως καὶ τὸ σμικρότατον εἶδος, οὐκ ἔστιν· ἀλλ' ἡ καλλίστη καὶ μεγίστη τῶν ξυμφονιῶν μεγίστη δικαιότατ' ἂν λέγοιτο σοφία· ἧς ὁ μὲν κατὰ λεγον ζῶν μετοχος. cf. Polit. IV. p. 443. D. E. Phaed. T. I. p. 93. E.

30) Menex. T. II. p. 246. D. E.

31) Phileb. p. 63. E. ἄλλας τε ἡδονὰς ἀληθεῖς καὶ καθαρὰς, ἃς εἶπες σχεδὸν, οἰκείας ἡμῖν νομίζε· καὶ πρὸς ταύτας, τὰς μεθ' ὑγιείας καὶ τοῦ σωφρονεῖν, καὶ δὴ καὶ ξυμπάσης ἀρετῆς· ὁπόσαι καθάπερ θεοῦ ὀπαδοὶ γιγνόμεναι, αὐτῇ ξυνακολουθοῦσι πάντῃ. Legg. T. II. p. 663. cf. etiam Xen. Mem. IV, 5, 6. I, 6, 8. 9.

32) Polit. IX. p. 580. D - 563 A.

33) Polit. IX. p. 583 B - 588 A. ὅτι οὐδὲ παναληθὴς ἐστιν ἡ τῶν ἄλλων ἡδονὴ, πλὴν τῆς τοῦ φρονίμου, οὐδὲ καθαρὰ, ἀλλ' ἐσκιαγραφημένη τις. cf. quae in Philebo de voluptatum natura uberrime ſunt expoſita.

34) Polit. IX. p. 577 C - 578. B.

dem, et plerumque fieri, ut qui justus sit, summa miseria deprimatur, injustum vero summa felicitate externa extolli, tamen manet virtute ipsi suum necessarium praemium, quod in ipsius natura latet, et ubique justus felicior est injusto [35]). Virtus igitur omnium bonorum summum est [36]), vitiositas omnium malorum maximum; neque so-

---

35) Haec quaestio gravissima in Politia proponitur. Glaucus et Adimantus mira eloquentia summam injusti hominis, si modo injustitiam recondere sciat, felicitatem, ejus vero, qui sit nec videatur justus, extremam miseriam depingunt; poscunt etiam, ut justitiae eam, qua per se bonum quoddam sit, excellentiam Socrates demonstret, mercedibus, et quae ex ipsis proveniant missis. Polit. II. p. 358. B-D. p. 366. D. E. 367. B. *μὴ οὖν ἡμῖν μόνον ἐνδείξῃ τῷ λόγῳ ὅτι δικαιοσύνη ἀδικίας κρείττων, ἀλλὰ τί ποιοῦσα ἑκατέρα τὸν ἔχοντα, αὐτὴ δι αὐτὴν, ἡ μὲν κακὸν, ἡ δὲ ἀγαθόν ἐστι.* — *Τὰς δὲ δόξας ἀφαίρει, ὥςπερ Γλαύκων διεκελεύσατο· εἰ γὰρ μὴ ἀφαιρήσεις ἑκατέρωθεν τὰς ἀληθεῖς, τὰς δὲ ψευδεῖς προσθήσεις, οὐ τὸ δίκαιον φήσομεν ἐπαινεῖν σε, ἀλλὰ τὸ δοκεῖν· οὐδὲ τὸ ἄδικον εἶναι ψέγειν, ἀλλὰ τὸ δοκεῖν. Καὶ παρακελεύεσθαι ἄδικον ὄντα λανθάνειν. καὶ ὁμολογεῖν Θρασυμάχῳ, ὅτι τὸ μὲν δίκαιον ἀλλότριον ἀγαθὸν, ξυμφέρον τοῦ κρείττονος· τὸ δὲ ἄδικον, αὐτῷ μὲν ξυμφέρον καὶ λυσιτελοῦν, τῷ δὲ ἥττονι ἀξύμφορον. κ. τ. λ.* — p. 368.

36) Virtutem omnium bonorum longe esse praestantissimum, Plato summo studio et maxima gravitate docet tum in Politia tum alibi. Et potissimum hoc inde apparet, quod ab initio virtutem ex sua natura atque vi quam maxime aptandam commendat, deinde demum praemia ejus externa tanquam appendicem ejus, qua per se polleat, praestantiae laudat. Polit. X. p. 612. A. B. *οὐκοῦν, ἦ δ' ἐγὼ, τἆλλα ἀπεδυσάμεθα ἐν τῷ λόγῳ, καὶ οὐ τοὺς μισθοὺς οὐδὲ τὰς δόξας δικαιοσύνης ἐπηνέγκαμεν, ἀλλ' αὐτὴν δικαιοσύνην αὐτῇ ψυχῇ ἄριστον εὕρομεν; καὶ ποιητέον αὐτῇ τὰ δίκαια ἐάν τ' ἔχῃ τὸν Γυγου δακτύλιον, ἐάν τε μὴ, καὶ πρὸς τοιούτῳ δακτυλίῳ τὴν Ἄϊδος κυνῆν.* ib. p. 613. E. 614. A. L. IX. p. 508. A.

lum earum gratia, quae illam ſequuntur, poenarum, ſed propter ipſius naturam [37]).

2. Nihilominus nec ſapiens et virtute praeditus omnem externam felicitatem aspernabitur. Sed ea omnia, quae vulgo habentur bona, divitias, honores, auram popularem, ſenſuum voluptates, corporis praeſtantiam, per ſe bona eſſe minime cenſebit, ſed ita duntaxat, ſi recte adhibeantur [38]). Itaque nec illas res ſui ipſarum cauſſa quaeret, ſed eatenus, quatenus aut internam ipſius praeſtantiam juvent, aut facultatem praebeant bene agendi, ubique cavens, ne per opulentiam aut indigentiam de ſtatu ſuo dijiciatur [39]). Easdem ſemper leges ſequutus in ho-

---

37) De Legg. V. p. 728. B. C. D. *τὴν γὰρ λεγομένην δίκην τῆς κακουργίας τὴν μεγίστην ουδεὶς, ὡς ἔπος εἰπεῖν λογίζεται· ἔστι δὴ μεγίστη, τὸ ομοιοῦσθαι τοῖς κακοῖς ἀνδράσιν κ. τ. λ.* Theaet. p. 176. D. E. 177. A. *ἀγνοοῦσι γὰρ ζημίαν ἀδικίας, ὃ δεῖ ἥκιστα ἀγνοεῖν· οὐ γάρ ἐστιν ἥν δοκοῦσι, πληγαί τε καὶ θάνατοι· (ὧν ἐνιότε πάσχουσι οὐδὲν ἀδικοῦντες) ἀλλὰ ἣν ἀδύνατον ἐκφυγεῖν. Θεο. τίνα δὴ λέγεις; Σω. Παρα δειγμάτων, ὦ φίλε, ἐν τῷ ὄντι ἑστώτων, τοῦ μὲν θείου, εὐδαιμονεστάτου, τοῦ δὲ ἀθέου, ἀθλιωτάτου, οὐκ ὁρῶντες ὅτι οὕτως ἔχει, ὑπὸ ἠλιθιότητός τε καὶ τῆς ἐσχάτης ἀνοίας λανθάνουσι τῷ μὲν ὁμοιούμενοι, διὰ τὰς ἀδίκους πράξεις, τῷ δὲ ἀνομοιούμενοι· οὗ δὴ τίνουσι δίκην ζῶντες τὸν εἰκότα βίον ᾧ ὁμοιοῦται.* — Innumeri laudari poſſent loci, qui huc ferant, ſed quos attulimus, ſufficiant. Si quis velit omnes fere locos huc ſpectantes cognoscere, adeat Mergenſternii Commentatt. de Republ. II. p. 125-130. p. 105 ſq.

38) De Legg. II. p 661. A. D. Menon. T. II. p. 87. E. — 88. D. *ὑγίεια καὶ ἰσχὺς, καὶ κάλλος καὶ πλοῦτος δή· ταῦτα λέγομεν καὶ τὰ τοιαῦτα ὠφέλιμα. Ταῦτα δὴ ταῦτα φαμὲν ἐνίοτε καὶ βλάπτειν .... ὅταν τί ἑκάστου τούτων ἡγῆται, ὠφελεῖ ἡμᾶς· καὶ ὅταν τί, βλάπτει; κ. τ. λ.* Responſio eſt hujusmodi: *πάντα τα κατὰ τὴν ψυχὴν αὐτὰ μὲν καθ' αὑτὰ οὔτε ὠφέλιμα οὔτε βλαβερά ἐστι, προς γενομένης δὲ φρονήσεως ἢ ἀφροσύνης βλαβερά τε καὶ ὠφέλιμα γίγνεται.* cf. Euthyd. T. I. p. 281. B. C. D. Menex. T. II. p. 246. D. E.

39) Polit. IX. p. 591. B. C. D. X. p. 618. C — 619 B. Phaedr. T. III.

noribus persequendis, ea suscipiet munera, quibus meliorem se fieri putet, publice autem privatimque fugiet, quae possint turbare ordinem, in animo suo regnantem [40]. Itaque neque rei familiaris jacturam, neque vulgi contemtum, neque sensuum voluptatis vacuitatem valde timebit, quum ista omnia per se bona esse non existimet [41]. Immo interdum ipse dolor vim habet salutarem [42]. His autem omnibus cogitur, solum sapientem, etiam externae felicitatis habita ratione, vere felicem dici posse, quum et res omnes ita adhibeat, ut nunquam nocivae existant, et jactura illarum minime perturbetur.

3. Quamvis autem negari nequeat, saepe accidere, ut bene malis, bonis male sit; ut hi maximis calamitatibus premantur, illi omnibus vitae commodis abundent, tamen haec ratio non semper et ubique valet. Nam similes sunt injusti cursoribus, qui ab initio celeriter exsiliant, in extremo autem cursu ridiculi fiant, et auribus demissis et sine corona ex turba se proripientes. Veri autem cursores ad finem perveniunt et coronantur. Idem justis viris plerumque contingit. Quamvis enim ab initio saepe contemtu afficiantur, tamen denique bene audiunt, praemiaque

---

p. 279 B. C. Ὦ φίλε δ' ἄν τε καὶ ἄλλοι ὅσοι τῇδε θεοί, δοίητέ μοι καλῷ γενέσθαι τἄνδο θεν· τἄξωθεν δὲ ὅσα ἔχω, τοῖς ἐντὸς εἶναί μοι φίλια· πλούσιον δὲ νομίζοιμι τὸν σοφόν· τὸ δὲ χρυσοῦ πλῆθος εἴη μοι ὅσον μήτε φέρειν μήτε ἄγειν δύναιτο ἄλλος ἢ ὁ σώφρων.

40) Polit. IX. p. 591. E. 592. A. — ἀλλὰ μὴν καὶ τιμάςγε, εἰς ταὐτὸν (τὴν ἐν αὑτῷ πολιτείαν) ἀποβλέπων, τῶν μὲν μεθέξει καὶ γεύσεται ἑκὼν ἃς ἂν ἡγῆται ἀμείνω αὐτὸν ποιήσειν· ἃς δ' ἂν λύσειν τὴν ὑπάρχουσαν ἕξιν, φεύξεται ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ.

41) Phaed. T. I. p. 82. B. C. D. p. 114. D. E. Gorg. p. 526. D. Menex. T. II. p. 247. E. 248. A.

42) Polit. X. p. 613. A. ἐάν τ' ἐν πενίᾳ γίγνηται ἐάν τε ἐν νόσοις, ἤ τινι ἄλλῳ τῶν δοκούντων κακῶν, ὡς τούτῳ ταῦτα εἰς ἀγαθόν τι τελευτήσει ζῶντι ἢ καὶ ἀποθανόντι.

ab hominibus referunt. Publicis muneribus, quoties volunt, funguntur, uxores, unde lubet, ducunt, filiasque cui volent nuptui dant. De injustis autem constat, plurimos eorum, etiamsi ad tempus lateant, in curriculi-calce, quales sint, deprehensos, ridiculos fieri, et in senectute miseros contumeliore tractari, a peregrinis et civibus verberari, immo torqueri atque exuri [43]). Denique soli justi certissimam semper in Deo ponere possunt fiduciam ita, ut, etiamsi in paupertate seu morbis, seu quibusvis aliis, quae mala videantur, versentur, illa omnia sibi ad bonum aliquod conductura, vel viventibus, vel defunctis, sperare queant [44]). Solus enim qui justus fieri studeat, Deo carus, injustus invisus [45]. Neque a Deo unquam negligitur, qui justus fieri studeat, et virtutem colens, quantum possit, similis Deo evadere nitatur. Injusti vero ratio plane contraria [46]).

4. Denique vero, etiamsi in hac vita externae felicitatis retributio nondum satis aequa atque justa esse videatur, tamen vita est altera post mortem futura, ubi aequa proportio, quam desideramus pulcherrime elucebit. Nam

---

43) Haec expressa sunt ex Polit. X. p. 613. B - E. cf. Legg. X. p. 900. A. B.

44) Polit. X. p. 612. E - p. 613. A. οὕτως ἄρα ὑποληπτέον περὶ τοῦ δίκαιου ἀνδρὸς, ἐάντ' ἐν πενίᾳ γίγνηται κ. τ. λ. v. nota 43.

45) Phileb. T. II. p. 39. A. δ'καιος ἀνὴρ καὶ εὐσεβὴς καὶ αγαθος καὶ ἀγαθὸς πάντως, ἆρ' οὐ θεοφιλής ἐστι; — τίμήν; — τί δὲ; ἄδικός τε καὶ παντάπασι κακὸς, ἆρ' οὐ τοὐναντίον ἐκείνῳ; — πῶς δ' οὔ; adde ll. cc. nota 56.

46) Polit. l. c. A. B. οὐ γὰρ δὴ ὑπό γε θεῶν ποτὲ ἀμελεῖται ὃς ἂν προθυμεῖσθαι ἐθέλῃ δίκαιος γίγνεσθαι, καὶ ἐπιτηδεύον ἀρετὴν, εἰς ὅσον δυνατὸν ἀνθρώπῳ ὁμοιοῦσθαι θεῷ. Εἰκός γ' ἔφη, τὸν τοιοῦτον μὴ ἀμελεῖσθαι ὑπὸ τοῦ ὁμοίου κ. τ. λ. cf. Legg. X. p. 905. Apol. p. 41. C. D. — Pulcherrime demonstratur Dei providentia Legg. X. p. 899. D. - 904. D. cf. Morgenstern. de Rep. Comment. II. p. 141 sq.

animus noster est immortalis [47]. In illa vita praestantissimus quisque perpetua gaudebit felicitate, quisquis praeterea praestantior fieri conatus fuerit, etiamsi nondum evaserit optimus, ea gaudebit conditione, qua facilius possit ad summam praestantiam evehi. Quisquis vero illud non studuerit, ille post mortem in inferiorem sensim delabetur gradum, unde ad virtutem et felicitatem emersio difficillima est [48].

6. Quae quum ita sint, facile aliquis in eam, potest incidere opinionem, ut quum Platoni virtus fuerit sola via ad felicitatem, hanc putet summum vitae finem, virtutem vero medium tantum, quo illam adsequamur. Paullo tamen alia res est, et ita dicendum ex mente Platonis: Virtus est summum bonum hominis, quoniam illa complectitur omnia quae homo desideret. Virtutem non ideo homo sequi debet, quod speret illâ se aliquam adepturum felicitatem, sed propterea quod illa eam parit felicitatem, quae sola virtute comparari potest. Itaque non dicit, felicitatem esse finem humanae vitae, quarumque ratione ea comparetur, sed illam felicitatem esse appetendam, quae simul cum virtute paratur, et ab ea seperari nequit. Quamquam igitur Platonis ethicam eudaemonisticam esse non negamus, quum homini summum vitae finem ostendat in ea felicitate quae cum ipsa virtute conjuncta sit, tamen inter Platonis et aliorum veluti Epicuri, Democriti eudaemonismum egregium est discrimen.

---

47) Polit. X. p. 608. C. 615. A.-621. A. cf. Legg. X. p. 904. C.-905. C. Gorg. p. 522. E.-527. E. Phaed. p. 63. B. sqq. p. 107. B. sqq. p. 113. sqq.

48) Vide quae supra de objectiva praestantia, quam Plato homini praescripsit, monuimus. In illis autem quae de vita post mortem futura statuit, Plato imaginitioni suae omnia frena remisit, et uberrimum poëtam sese exhibuit; cf. Phaedon. sub finem et Phaedr.

§. 16.

I. Jam si ethicam Christianam cum istis quae modo Platonica sunt exposita comparaverimus, in his tantam deprehendimus similitudinem, ut certe primo obtutu omnia Christiana esse videantur. Etenim

1. Potissimum ponitur momentum in ea felicitate, quam virtus per se et propter suam ipsius naturam parit, in animi tranquillitate [49]), quae omnium externarum rerum potior habenda sit [50]), et pro tanta felicitate, ut nunquam probus et virtute praeditus infelix dici queat [51]). Praedicantur beati omnes, qui virtuti se dederint, etiamsi omni calamitatum genere premantur [52]). Dicuntur quoque illi vera libertate fruentes, qui vitiositatis servitium effugerunt [53]).

2. Quae de externa felicitate cum virtute conjuncta, deque divina Providentia in Platone veniunt, ea omnia amice conspirant cum vi praeceptorum Christi et Apostolorum, etiamsi illa ad singulos locos reduci nequeant. Non plane res externas veluti opes, sanitatem, honores et quae sunt ejusmodi, contemnenda esse censent, sed eatenus tantum acquirenda, quatenus illis virtus nostra

---

49) Jac. III, 18. IV, 1 sqq. 1 Joh. III, 19. Act. XXIV, 16. 1 Cor. XV, 58. 2 Cor. I, 12. Ebr. XIII, 18.

50) Matth. VI, 19. 20. XIX, 21. Luc. XII, 33. Ebr. XI, 26. 2 Cor. IV, 7.

51) Rom. VIII. 28.

52) Matth. V, 3-10.

53) Rom. VI, 19 sqq. coll. Joh. VIII, 34. Haec est sola animi libertas, de qua in Novo Testamento sermo est. De libero arbitrio hominis ne verbum quidem occurrit, sed ex tota vi religionis Christianae apte concludi potest, illud et a Christo et ab Apostolis positum esse et consideratum tanquam res de qua dubitari nequeat. Itidem Plato haud aliter de ea cogitavit. Nihil omnino novit de praestinatione quadam voluntatis humanae. Immo Aristoteles primus litem de libero hominis arbitrio novit. Vide quae Morgenstern disputat. in Comment. II. de Rep. p. 143-145. nota 106.

juvetur. Docent praeterea hominem probum et virtutem sectantem certissime sperare posse fore, ut quae ipsi sint necessaria externarum rerum, ea Deus largiatur [54]), et si quid mali evenerit id ipsum in commodum atque utilitatem ipsius olim convertat [55]). Solum enim illum in amore et benevolentia Dei certissimam ponere posse fiduciam.

3. Denique idem illud solatium aeternae felicitatis miseris iisque probis piisque hominibus per ethicam Christianam affertur, et summum in illo ponitur momentum. His omnibus autem efficitur, solum illum qui virtutem sectatus sit, vera gaudere felicitate, id quod Plato eadem vi et industria studuit probare.

II. Quamvis vero haec in universum egregie consentire videantur, tamen in singulis si paullo altius spectaveris diversam deprehendes rationem.

1. Etenim verum est, Christianam quoque ethicam summum tribuisse momentum felicitati ei, quam ipsius virtutis natura praebeat, diverso tamen a Platone modo. Nam plane fere ignorat, eam felicitatem quae ex harmonia et concentu singularum animae partium prodeat, sed omnem felicitatem virtuti propriam quaerit in conscientia recti, et in ea tranquillitate animi, quae ex certissima fiducia disinae benevolentiae nascatur. Neque haec res aliter potuit esse. Quandoquidem enim, id quod supra probavimus, Platoni fuit neque in virtute notio officii erga Deum praestandi, neque adeo in vitiositate notio neglectae legis divinae, cui divinitus poenae immineant, jam sponte sequitur, ut nec de cruciatibus conscientiae mali sermonem injicere potuerit. Quisquis enim ex sententia Platonis est improbus et scelestus homo, ille minime vidit, in virtute sola veram positam esse felicitatem, et in vitiositate sum-

54) Matth.
55) Rom. VIII, 28. coll. II, cc. nota 151.

mam miseriam. Itaque nec quidquam timere aut ulla re excruciari potest. Simulac autem quis cognoverit miseriam esse conjunctam cum vitiositate, et felicitatem cum virtute, hanc sponte appetet, ut beatus per illam evadat; nemo enim suam miseriam velle potest. Itaque non prius conscientiâ mali potest excruciari, qram felicitatem in virtute cognoverit; sed vel sic illud fieri nequit, quum sibi conscius sit, se simul cum virtute consequuturum esse felicitatem, nisi fortasse ex pristino delicto malum adhuc ipsi immineat [56]). Uno quidem loco Politiae [57]) induci possemus ut putaremus Platonem inter miseriam scelesti hominis numerasse etiam timorem et terrorem ex conscientia mali profectum, nisi ipse statim adjecisset, sese illum dicere terrorem a servis, quo virum tyranicum (h. e pessimum quemque) si ampla ipsi contigerit familia, percuti oporteat, quum nemo illi amicus auxilium laturus sit. Hunc autem timorem deinde ad internum hominem transfert, itaque ostendit hominem, qui justam animae rationem non servavit, perpetuo timere debere, ne libidines et ira facta seditione rationem prorsus obprimant. Ex hoc ipso loco manifestum est, de cruciatibus conscientiae mali illum nihil cogitasse, id quod sane reliquis ipsius principiis adfatim est consentaneum [58]). — Contra vero Christianae

---

56) Polit. X. p. 612. E. τῷ δὲ θευφιλεῖ οὐχ ὁμολογήσομεν, ὅσα γε ἀπὸ θεῶν γίγνεται πάντα γίγνεσθαι ὡς οἷόντε ἄριστα; εἰ μή τι ἀναγκαῖον αὐτῷ κακὸν ἐκ προτέρας ἁμαρτίας ὑπαρχε; — πάνυμὲν οὖν. —

57) ib. IX. p. 578. A. τί δὲ; φόβον γέμειν ἆρ' οὐκ ἀνάγκη τήν γε τοιαύτην πόλιν, τον τε τοιοῦτον ἄνδρα; coll. quae sequuntur.

58) Est locus Phaedri T. III. p. 242. B. C. ubi Socrates voce Daemonis sui intelligere videtur conscientiam mali. Quamvis autem ex hoc loco colligi possit, vel Platonem vel Socratem internum actionum judicem non ignorasse (id quod in re atque natura positum est) tamen illum in systema suum Plato admittere non potuit, nisi quatenus iste cum ratione congrueret, jubens vetans actiones. Minime vero de interno aut cruciatu aut

ethices autores ex principiis ſuis de nulla alia animi tranquillitate potuerunt cogitare, niſi de ea, quae ex conscientia recti profecta ſit. Nihil enim unquam loquuntur de partibus quibusdam animae, ſed unam tantum animam, cui corpus (σάρξ) ſit oppoſitum, ponunt; itaque nec in concentu et harmonia animae felicitatem quandam ponere potuerunt. Idem tamen fortaſſe fuiſſet, ſi in rationis de ſenſibus et corpore dominatione ipſa quaeſiviſſent felicitatem, ſed nullum iſtius rei veſtigium usquam in N. T. reperitur. Et, ſi verum ſpectemus, Plato in his doctior fuit, quam verior, bene enim cogitari poteſt, vel hominem aut libidinibus aut animi affectibus ſe duci paſſum, nullum ſentire internae felicitatis defectum, ſi modo illis ſatisfacere valeat, niſi conſcientia mali excrucietur.

2. Diverſa praeterea eſt in utraque ethica ratio benevolentiae divinae ad felicitatem. Platoni enim, qui ethicam ideam ſuper ipſum Deum extuliſſet, benevolentia divina nihil aliud potuit eſſe, niſi pars quaedam felicitatis univerſae, vel acceſſionem quandam, quum homo virtute praeditus vel ſine iſta Dei benevolentia felix eſſet et in hac et in futura vita. Minime enim aut ea felicitas, quae poſita eſt, ex ipſius ſententia, in concentu et harmonia partium animae, aut ea quae in futura vita juſtum manet, a benevolentia divina pendet. Ex Phaedro enim apparet, Platonem neceſſarium feciſſe connexum inter virtutem et futuram felicitatem, qui minime a Dei voluntate pendeat. Itaque ſola externa felicitas hominis pendere adhuc poteſt a divina benevolentia. Prorſus tamen alia ratio eſt in ethica Chriſtiana. Benevolentiam enim divinam conditionem fecit omnis felicitatis. Nam nullam aliam, uti vidimus, cum ipſius virtu-

---

gaudio actionem quamlibet ſequenti ſermo eſſe potuit. Immo totum iſtum locum de Daemonio ad notam Socratis ironicam referre malim.

tis natura conjunxit felicitatem, nisi eam, quae posita est in conscientia boni, et in tranquillitate animi, ex illa profecta. Haec autem ipsa tranquillitas nititur in conscientia ea, qua, ut qui voluntatem dei exsequuti sumus, ipsius benevolentiam certissime speramus. Nisi homo probus sibi persuasum haberet, de benevolentia divina, nec interna gaudere posset felicitate. Praeterea quoque felicitas post mortem futura probum piumque manens, non conjuncta est cum virtute necessitate quadam alia, nisi ea, qua Deus illum infelicem esse velle nequit, qui ipsius voluntatem in his terris perfecerit; itaque necessitate quae intercedit inter virtutem et benevolentiam divinam. Haec omnia autem fluunt ex altiori isto principio, supra exposito, quo ipsius boni notio pendet a voluntate divina, neque ipse Deus notioni (s. ideae) boni est subjectus.

3. Quamvis denique eodem Jure ac in Platone cum ethica Christiana contendi possit, illam fellicitatem, quae cum virtute acquiratur, et ex virtute sola proficiscatur, summum esse finem hominis, tamen simul contenditur virtutem homini tanquam officium Deo praestandum esse injunctam, id quod Plato ex systematis sui ratione minime potuit profiteri. Verum enim est, neminem cogi posse et obligari ut suam ipsius felicitatem appetat, sed quandoquidem virtus est officium a Deo homini mandatum, jure dici potest, hominem obligari, ut, quae cum virtute conjuncta sit, felicitatem omnibus viribus prosequatur.

§. 17.

His expositis jam perspicuum est potissimam fere similitudinem quae inter Platonicam atque Christianam ethicam intercedat, in ipsa hac doctrina de virtutis ad felicitatem ratione esse positam. Breve igitur de hac similitudine feramus judicium necesse est. Singula vero haec sunt:

1. Virtus a felicitate separata homini nequaquam sufficit. Haec autem est non solum Platonis et Christi sententia,

ſed omnium antiquitatis philoſophorum, qui unquam vixerunt. Diverſitas potius inter illos in eo eſt poſita, quod felicitatis diverſam notionem habuerunt. Ipſi Stoici dixerunt, ſolum Sapientem eſſe beatum.

2. Virtus non eſt medium quoddam ad quamlibet felicitatem obtinendam, ſed cum ipſa eſt vera felicitas neceſſario modo conjuncta. Hanc ſententiam Plato derivavit ex iis, quae de hominis juſta ratione conſtituiſſet, in Chriſtiana ethica fluxit illa ipſa ex altera ſententia hacce:

3. Solum probum piumque Deo placere. Idem vero hoc jam in V. T. tam manifeſto proſtat, ut propter hujus ſententiae ſimilitudinem cum dictis Platonicis, vix aliquis de ethicae Chriſtianae cum Platonica externa conjunctione cogitare poſſit, ne dicam, quae nihilo ſecius in his ipſis diverſa eſſe cognovimus.

4. Probus et honeſtus certiſſimam in Deo ponere poteſt fiduciam. Hanc ſententiam ſi quis ex Platonicis libris quam ex manifeſtiſſimis iisque pulcherrimis V. T. et potiſſimum Pſalmorum locis, in ethicam Chriſtianam eſſe translatam, malit, ſuam ſibi habeat opinionem!

5. Hominem probum manet aeterna felicitas poſt mortem futura. Hic fortaſſe aliquis non ſine aliqua ſpecioſa ratione contendere poſſit, Chriſtum principia Platonica, quae tum temporis inter populares ſuos innotuiſſent, in ſuam doctrinam transtuliſſe. Etenim verum eſt, in V. T. admodum pauca eaque minutiſſima veſtigia vitae poſt mortem futurae reperiri, et quum tamen ſub Chriſti tempora inter Judaeos ſpes vitae aeternae aliquantum obtinuerit, illam ex Platonicis libris in Judaeam paullatim prorepſiſſe, non eſt quam multi ſtatim abjiciant, ſententia. Attamen Chriſtus de hac ipſa re in tantum erexit et excoluit populi ſui notiones, et ab ipſius Platonis et ſentiendi et loquendi de vita aeterna ratione in tantum disceſſit, ut nunquam putaverim, aut populi ſui notionibus, aut libris Platonicis illum in tanta re eſſe eruditum. Si quis enim comparaverit descriptionem vitae aeternae, qualis eſt in libris Pla-

tonicis, cum illa βασίλεια των ουρανων in N. T. exposita, tantum inveniet discrimen, ut minime a se invicem pendere videantur. Immo in hac doctrina cernitur divinum numen, quo Christus afflatus supra omnes omnium saeculorum homines elatus est, ut nec ante neque post ipsum alius quisquam ipsius sententiam aut irritam reddere, aut quovis modo mutari, aut una notula augere valuerit.

Sed, ut tandem in universum de externa Platonicae atque Christianae ethices cohaerentia judicium feram, in hanc fere sententiam discedo: Quamquam inter Judaeos Platonicas quasdam doctrinas innotuisse, et a viris doctis in vulgus etiam manasse, satis probabilis reddi potest sententia, tamen minime illae egregiam exercuerunt vim in doctrinam Christianam, quum quae in universum similia esse videntur, aut in singulis vehementer discrepent, aut ex potiori fonte derivari queant. Et profecto quae Christus cum Platone communia habet, longe illa minora sunt, quam quae egregia atque divina illis addidit! Nec omnino cernitur caussa, quidni qui majora invenerit, et minora ille ex suo ingenio haurire potuerit!

Caput IV.

DISQUIRITUR, QUOD PLATO VIRTUTIS INITIUM ESSE VOLUERIT, EJUSQUE AD CHRISTIANAM ANIMI EMENDATIONEM (μετάνοιαν) RATIO.

§. 18.

Ex omnibus, quae hactenus sunt disputata de vi atque natura virtutis, ejusque ad felicitatem ratione, necessario modo cogitur, Platonem initium omnis virtutis posuisse in cognitione ea, qua homo intellexerit, se virtute sola veram adepturum esse felicitatem. Studium enim hoc est

omnibus commune, ut felices eſſe velint, quisquis igitur non intellexit, virtutis naturam eam eſſe, quae hominem ſola vere beatum reddere valeat, ille nunquam antea virtutem ſequetur; e contrario vero, quisquis virtutis et ipſius boni naturam, pulchritudinem et praeſtantiam, qua ipſa felicem reddit ſui poſſeſſorem, intuitus eſt, ille non poteſt, quin ipſam virtutem, ipſumque bonum omnibus viribus appetat [59]). Hinc autem efficitur, non voluntatem eam qua homo juſtus fieri cupiat eſſe initium virtutis, ſed cognitionem boni ipſius. Sceleſtiſſimus enim quisque, quum juſtus eſſe ſtudet, non voluntatem mutavit, quum ut qui ab initio, id quod omnibus commune eſt felix eſſe ſtuduerit, ſed cognitio ipſius mutata eſt, quum jam intellexerit, nulla alia via felicitatem veram acquiri poſſe niſi virtute. Itaque ex Platonis doctrina minime opus eſt, ut eum, qui ad virtutem emergat, vitae antea geſtae poeniteat, utque confiteatur, ſe impie et perperam egiſſe. Sed illud tantum cognoverit neceſſe eſt, ſe via eſſe ingreſſum, qua nunquam vere felix evadere potuiſſet, et, eatenus, ſibi opprobia faciet, quatenus aliquamdiu ſeſe ipſum vera felicitate privaverit. Demens igitur eſt et inſanus, ex ſententia Platonis, qui virtuti non ſtuduerit, nullam vero aliam ob cauſſam damnandus. Quodſi de emendatione hominis ſermo injicitur, illa eſt Platoni non animi et voluntatis, ſed ingenii et cognitionis mutatio. Omnia vero haec ex potiori cauſſa nulla ducuntur, niſi ex iſta ratione virtutis, qua notione officii et obſequii Deo praeſtandi illa privata eſt.

§. 19.

Jam vero in ethica Chriſtiana prorſus aliam obtinere rationem, non eſt quod amplius dubitari poſſit. Quum

---

59) v. ll. cc. nota 51. adde Theaet. T. I. p. 176. C. ἡ μὲν γὰρ τούτου (τοῦ δικαιοτάτου) γνῶσις, σοφία καὶ ἀρετὴ ἀληθής· ἡ δὲ ἄγνοια, ἀμαθία καὶ κακία ἐναργής.

enim ſumma virtutis ponatur in obſequio divinae voluntati praeſtito, nec ulla potior ſit cauſſa, qua homo ad bene agendum moveatur, quam ipſius dei voluntas, initium virtutis eſt firma voluntas, firmumque propoſitum, officium praeſtandi, et Dei voluntati obſequendi. Quamvis enim omnis virtutis cognitio Dei, cui ut ſummo legislatori et judicii actionum humanarum obtemperandum ſit, neceſſaria ſit conditio, tamen haec ipſa minime eſt virtutis initium. Sunt enim quam plurimi homines, qui et ipſorum interna conscientia et inſtitutione, illam Dei cognitionem habeant, nec tamen ea voluntate agantur ut praecepta divina exſequantur, ſed ad impia et ſceleſta omnia ferantur, ne minimum quidem Deum curantes. Quandoquidem vero in voluntatis et animi emendatione (μετάνοια) poſitum eſt initium virtutis, neceſſe eſt, ut homo ſimulac voluntatem in Deum intenderit, confiteatur, ſe peccaſſe et perperam et impie egiſſe, et hac ipſa conscientia animo conteratur. Jam enim homo non ſolum intelliget, ſe minus antea felicitatem ſuam veram curaſſe, ſed excruciabitur praeterea graviſſima conscientia, ſeſe peccaſſe in Deum, benevolum ſui patrem ſummumque judicem, qui legem dederit, ut quam in animo hominis ſuam eſſe voluntatem patefecerit, illa omnibus viribus ſervaretur, nec ſe dementem ſolum et inſanum antea fuiſſe judicabit, ſed imperium et divinis poenis digniſſimum. Haec vero eſt illa egregia Chriſtianae religionis doctrina, cui nullius alius ethices ſimile quidquam e regione ponere queas. Itaque in iſta animi emendatione tantum et Chriſtus et Apoſtoli poſuerunt momentum, ut nullum fere nomen ſatis grave exiſtimarent, quo illam denotarent [60]). Et, licet hisce plura contineantur, quae

60) παλιγγενεσία Joh. III, 1 ſqq. Tit. III, 5. 1 Petr. I, 23. καινὴ κτίσις, ανακαίνωσις Eph. II, 10. IV, 20-24. Col. III, 9-12. Gal. VI, 25 ſq. Rom. XII, 2. VI, 15. καινὴ ζωὴ et ἀνάστασις Rom. VI, 14 ſq. 1 Petr. II, 24. ἁγιασμός. Rom. VI, 19. 1 Petr. I, 2. 1 Theſſ. IV, 3. cet.

tantum nisi ad Judaeos et Paganos istius temporis spectent tamen etiam hodie generalis istorum notio in nostros homines ubique cadit.

Epilogus.

TOTIUS COMMENTATIONIS SUMMA BREVITER REPETITA FIT CONCLUSIO.

§. 20.

His quidem omnibus expositis, et comparatis ita, ut in quaque re Platonicae atque Christianae ethices et consensus et discrimen elucescat, omnia mihi visus snm tetigisse, quae in tali comparatione alicujus momenti esse possint. Quibus tamen absolutis, ut melius adhuc singula perspiciantur, juvat illa brevibus verbis repetere, et in quibus utraque doctrina ethica aut consentiat, aut dissentiat, juxta se ponere. Consensus vero nititur in his singulis sententiis:

1. Deus est summum bonum, et quisquis hominum fit praestantior, eo ipso Deo appropinquat.

2. Deus hominum animis notionem boni informavit.

3. Virtus est rationis de animi affectibus et libidinibus victoria, ita tamen ut justa omnium maneat ratio.

4. Virtus ex sinceris principiis proficisci debet, alias non est vera virtus; itaque non erit illa invita, neque sui commodi et praesentis voluptatis, aut ostentationis studiosa.

5. Virtus nunquam vel temporibus vel quavis fortuna mutari debet, sed semper sibi constans erit.

6. Virtus nunquam in hac vita summam adsequitur praestantiam, sed in dies perfectior reddi potest.

7. Virtus amplectitur universi hominis naturam.

8. Virtus homini minime sufficit, nisi illâ fiat vere beatus.

9. Sola virtute veram felicitatem adipiscimur.

10. Vera felicitas est ea, quae cum ipsa virtute conjuncta est, interna animi tranquillitas.

11. Solus virtuti incumbens, certissimam in Deo ponere potest fiduciam, et sperare vel mala omnia sibi in bonum aliquod cessura.

12. Externa omnia non per se bona sunt, sed virtute demum vere bona fiunt.

13. Hominem probum ac honestum manet aeternae vitae felicitas. Contra vero, in quibus ethice christiana a Platonica discedat, haec sunt:

1. Deus non solum est boni ideae *in homine* auctor, sed ipsius boni auctor, quatenus nihil est bonum, nisi ea de caussa, quod Deus id ipsum jusserit, et bonum esse voluerit. Inde bonum cogitando et agendo prosequi, est *officium* hominis divinae voluntati praestandum.

2. Cognitio praestantissima boni eam solam ob caussam est appetenda, quia illa moralis praestantia s. virtus hominis augetur; itaque ethica Christiana hominem Deo similem fieri jubet non cognitione rerum, sed *praestantia vitae*.

3. Summa praestantia hominis non est objectiva, sed subjectiva, ita, ut is sit praestantissimus, qui iis quae divinitus sibi concredita sint, optime usus est.

4. Virtus non solum est rationis, sed potissimum animi et cordis ita, ut illa *ex amore Dei et proximi* fluat.

5. Necessaria virtutis conditio est *fides*, s. illa persuasio, qua nihil agamus nisi quod *divinae voluntati consentaneum* esse censeamus, unde virtus simul est *pietas* in Deum.

6. Virtuti adjuncta esse debet animi submissio erga Deum, ne unquam nimium nostris viribus tribuamus, sed

ut quocunque prae aliis excellimus, Deo acceptum referamus.

7. Animus ſaepe intendendus eſt in Deum O. M., patrem et creatorem noſtrum benigniſſimum ita, ut preces ad illum fundamus, et de interna noſtra conditione cogitemus.

8. Summa felicitas cum virtute conjuncta eſt conſcientia recti et divinae benevolentiae.

9. Benevolentia divina eſt omnis felicitatis neceſſaria conditio.

10. Quamvis felicitas ea, quae virtute acquiritur ſummus finis ſit humanae vitae, tamen virtus eſt officium Deo praeſtandum, quoniam illa ipſa felicitas eſt Dei voluntas.

11. Initium denique virtutis eſt *μετανοια* h. e. firma voluntas, qua Dei in omnibus voluntatem ſequi decrevimus, conjuncta cum priſtinorum peccatorum ſincera confeſſione et animi triſtitia.

Quodſi haec omnia contemplemur, manifeſtum eſt, par fere inter doctrinam Platonis ethicam et Chriſtianam eſſe diſcrimen ac conſenſum, ita tamen ut quae prorſus ſibi contraria ſint, ex una illa notione fluant, qua virtus tanquam officium Deo patri ac Domino hominum praeſtandum, a Chriſtianae doctrinae auctore repraeſentatur. Reliqua diſſimilia non ſibi invicem repugnant, ſed nonniſi alio modo ſunt deſcripta.

Summa igitur et peculiaris ethicae Chriſtianae notio haec eſt, quod voluntatem Dei illam fecit cauſſam, qua homo in omnibus actionibus duci debeat. Vetuit tamen ne ſervilis et invita inde exiſtat obedientia, quum omnem virtutem ex amore derivaverit. Etiamſi vero ethica Chriſtiana in nulla alia re emineret, quam hoc ipſo fidei et amoris principio, tamen ob illud ipſum merito illam divinam vocaremus. Tanta enim iſti ineſt vis, ut nemo poſſit eſſe tam rudis, tam ferus et ab omni humanitate alienus, quin illa doctrina cognita atque perſpecta

ad optima quaeque, omnisque vitae praestantiam feratur. Hinc factum est, ut ethica Christiana in omnium gentium atque nationum animos tantam vim exercuerit, quantam philosophia aut antiquitatis, aut recentiorum temporum nunquam vel obtinuit, vel obtinebit. Quodsi Platonem divinum esse concesserimus, Christum Deum confiteamur necesse est.
